

R. K.
429/6

II c
1122

(X1859303)

D. O. M. F.

EXPOSITIONEM INFANTVM

SVPERIORVM CONSENSV
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
EXPONUNT

CASPAR SAGITTARIVS
PHILOS. MAG. ET SS. THEOL. DDVS
ET
THOMAS VVELTZ

LINDAVIENSIS.

JENÆ,
LITERIS JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI.
ANNO clō Ipc LXXII.

BIBLIOTHECA
LINDAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names such as "THOMAS VELLETT" and "GASPAR SAGITTARIUS".





CAPUT I.
DE ANTIQVITATE EXPOSITIONIS
INFANTVM, ET ISMAELE AC MOSE EXPOSITIS.
SVMMARIVM.

Occasio scripti. *Expositio infantum unde dicta. Ex ἔθεσις ἐπιθήμις. Quando Latini primum cœperint hac significatione uti, dubitatur. Abjicere & Exponere Infantes aliquando sunt Synonyma. Expositio post lapsum Protoplastorum cœpit. In Ismaelis & Mosis Expositionem inquiritur. De aetate Ismaelis & causa exilii quaedam. Sannionibus, qui in Ismaelis historia proterve se gerunt, respondetur. Ismael non fuit una cum lagena humeris Hagar impositus. Historia nativitatis & Expositionis Mosaicae per epitomam traditur. Josephi & Philonis narrationes fabulosa. Ebraeor. XI. 24. explicatur. Historia Expositionis Mosis cognita Paganis, sed fabulis involuta. Ex Mose factus Liber Aegyptius: cui pater Nilus. Idem Liber ad littus maris inventus; una cum matre Semele arca inclusus; a Nymphis vel Hyadibus educatus. Bacchus formosus; Bimater. Cl. Vogleri Commentarius Mythologicus speratus.*

§. I.



imidius propemodum elapsus est annus, quod infans adhuc a matre rubens in publicum projectus in hac Salana reperiretur. Hic casus ansam nobis præbuit, de EXPOSITIONE INFANTVM, quæ jam pridem congestimus, retractare, eademq; paulo curatius excussa doctæ ac amicæ Bonorum censuræ exponere.

§. II. In vocum incunabula vix erit cur inquiramus sollicitius. *Expositio* a tam familiari particula præpositiva, tritoque verbo trahens originem, se ipsa meridianæ luci exponit. Nec est

quod de *Infantium* ortu adeo laboremus. Nam dum eos nondum *fari* posse intelligimus, privantem significationem induere præpositionem, tam est in propatulo, ut vel ipsi infantes, si per naturam liceret, id eloquerentur.

§. III. Nisi Cassius nobis in aurem, CUI BONO? non tam ex Lexicographis, quam mediis Veterum Scriptorum fontibus eruere singulares aliquot de *Expositionis Exponendique* verbis observationes. Satius erit in id ætatis inquirere, quo pacto apud Latinos, hoc, de quo agimus, sensu usurpare cœpta sint hæc verba.

§. IV. Solon in parricidas nullam statuisset fertur pœnam, quod neminem existimaret tam nefarium, ut ausit tantum facinus admittere. Nulla apud Latinos si contigisset Infantum Expositio, non fuisset causæ, qui generalis illa vox malignæ infantis abjectioni sigillatim imponeretur. At quia non modo in Comædiis, sed in ipsius quoque communis vitæ actu, quem prodere solent fabulæ, tam frequens fuit facinus, quid mirum si rei non valde insolenti specialior vulgati cuiusdam vocabuli significatio tributa est?

§. V. Si quid tamen video, a Græcis ejusmodi sensum ad Romanos devenisse reor. Est enim manifestum, quod & ἐκτίθημι & ἐκθεσις ab antiquissimis Scriptoribus Pelasgis in hoc negotio adhibeatur.

§. VI. Aristophanes satis vetustus Græcorum vates est; quippe qui Eusebio teste, Olympiade LXXXV. floruerit. Ita autem ille in Nubibus:

Κἀγὼ παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν
καὶ ἐξῆν πῶμοι τεκεῖν,

Ἐξέθηκα, παῖς δ' ἐτέρου λαβῆς ἀνείλετο.

Quæ ad verbum ita reddas: *Et ego virgo enim adhuc eram, & non licebat aliquo modo mihi parere, Exposui, puella autem altera quædam accipiens recepit.*

Eadem significatione in Homericis & Euripideis reperias carminibus. In Isocratis Philippicis etiam hæc habentur: Ἐκτεθεῖς ὑπὸ τῆς μητρὸς εἰς τὴν ὁδόν. *Expositus a matre in viam.*

§. VII. Deus bone, quot Scriptores ante Diuumviros Comicos Latini eloquii principes, & disertissimum Romuli nepotum, Romanæque linguæ auctorem summum perierunt! Quæ superant, exigu-

xiguarum instar sunt tabularum ex magnæ clasfis naufragio reli-
ctarum, in quibus admodum pauca vestigia nostræ habemus Ex-
positionis: ut adeo non liceat tuto definire, quis primus inter La-
tinos hanc significationem ad Græcorum exemplum usurpaverit.

§. VIII. Non leve profecto fuit facinus liberos *Exponere*: attamen præ *Abjectione* Infantum aliquam illud sapere lenitatem, nemini non, cui vim primitivam vocum indagare fuerit volupe, arbitror constare. Plerumque tamen *Exponere* & *Abjicere* habentur pro Synonymis. Ex Seneca Philosopho id liquet, cujus hæc sunt de Ira lib. I. *Liberos, si debiles monstrosique editi sunt, abjicimus.* Et ex Seneca Patre Declamatore, qui hæc habet: *Aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editas, aut corpore invalidos abjiciunt.* Ambrosius in *Hexaemero* lib. V. cap. XVIII. utrumque conjungit: *Pauperiores abjiciunt parvulos & exponunt, & deprehensos abne-
gant.*

§. IX. Expositionis Latinæ natales ex Græcia arcesivi; non, ac si de illis liberos suos primum exposuisse constet, nec suppeterent argumenta, quæ idem de aliis populis, quorum res gestæ Græcorum supergrediuntur memoriam, evincant. Equidem enim in hac sum sententia, tamdiu moris id fuisse, quamdiu hominum malitia in terris cœpit crescere. Id autem illico a miserabili & nunquam satis deplorando Protoplastorum lapsu esse factum ex Sacra divinæ veritatis historia liquido apparet.

§. X. Illustria autem antiquissimæ Expositionis in Ismaele, Hagaris, qui Abrahamo natus erat, sannione filio, & Moyse in ripa Nili exposito, habemus exempla: quæ pro re nata paululum excutere apud animum nostrum constituimus.

§. XI. Scio quosdam irreligiosos homines priori ex narratione historica jocos ludosque facere, & nescio quæ absurdorum monstra exinde ut eliciant proterve laborare: qui nullo licet digni forent responso, tamen ne suam aliis affricent de Sacris tam frivole garriendi petulantiam, agedum in ætatem Ismaelis, ac causam modumque factæ ab Hagare abjectionis inquiremus.

§. XII. Annos sex & octoginta natus erat Abrahamus, cum ex *Gen. XVI.*
Hagare Ægyptia Saræ serva, de qua marito legitima uxor indul- *v. 16.*
ferat, Ismael in dias luminis auras ederetur. Nonum & nonage-

Gen. XVII finum annum agebat Abrahamus, quando Deus Opt. Max. san-
v. 1. etum illud de masculorum Circumcisione edictum ipsi promulga-
ret: ut adeo necesse sit, Ismaelem, cum a Patre circumcideretur,

Gen. XVII annorum tredecim fuisse: id quod etiam Sacer Codex disertis ver-
v. 25. bis memorat. At centesimum Abrahamus annum compleverat,
quando ex Sara, toties a Deo promissum, & tantopere expecta-
tum recens natum Isaacum cum incredibili gaudio exciperet. Hinc
ablactatur Isaacus, ac Ismael se lascive gerit in paterna domo,
ut justas Dominæ iras in se provocaret. An primum malitiosæ
indolis specimen in solemni illo convivio Ablactationis Isaaci me-
morix dicato Ismael dederit, tacente Scriptura pro certo affirma-
Gen. XXI. re nequimus; nec cujus generis ejus irrisio & sannæ fuerint, accu-
v. 9. rate licet indagare. Non futilis tamen nobis visa est illorum con-
jectura, qui putant Ismaelem impositum Isaaco nomen vertisse in
ludibrium, ac germanum, quod ex vetula esset genitus, commilito-
nibus deridendum propinasse; imò forsan instinctu matris, quæ
a promissione Angelica cristas erexerat, hæreditatem paternam &
in fratrem principatum ex Primogenituræ legibus affectasse.

Gen. XXI. §. XIII. Quibus ita positis, minimum octodecim annorum fu-
v. 10. seq. it Ismael, cum Abrahamus instinctu Saræ uxoris, cujus animi pro-
positum probabat ipse Deus, hunc pravæ indolis filium Ægyptiæ
matri junctum, ne cum Isaaco communem sortiretur hæreditatem,
paterna simul ac herili domo excluderet.

§. XIV. Hic ergo maleferiati blaterant, quam inconditum sit
& ridiculum, quod Abrahamus pater, adolescentem robustum, &
jam venatorios lacertos ostentantem una cum lagenâ aquæ plena
humeris Hagar matris imposuerit; mater vero lagenâ mox ex-
hausta puerulum, si Deo placet, ab humeris levatum sub umbram
patulæ arboris abjecerit, & flente pusione ipsa e regione posita
egregie ploraverit.

§. XV. Ceterum quid opus erat ejusmodi sannis? Si tam belli
homines vel primis labris degustassent authenticum Sacræ Histo-
riæ volumen, vel doctos consulere voluissent Interpretes, non ha-
berent profecto, cur naso tam adunco suspenderent dicta ab ipso
Sacro-Sancto Numine Divino dicta. Quasi vero pronò fueret
alyeo: *Abrahamus humeris ancillæ lagenam imposuit, eidemque una*
filium

*filium tradidit: Ergo consequens est Ismaelem una cum lagenâ collo-
 lo matris inhæsisse. Hyperbaton hic cum Philologis eximiis agno-
 scimus ac orationem involutam. Nam etsi priora verba: Accepit,
 dedit, tam ad panem & lagenam, quam ad Ismaelem liceat refer-
 re; illud tamen, Et posuit super humerum nequaquam simul de a-
 dolescente intelligendum esse existimamus. Quamobrem etiam
 Septuaginta hoc loco nequaquam subscribimus versioni, quæ Græ-
 ca ita reddidit, ut latine sic se habeant: Posuit puerulum super hu-
 merum ejus.*

§. XVI. De ipsa Expositione (ad illam nunc reducimus, non
 ignari alias quod ab ea differat quadamtenus) hoc sciendum est,
 quod non tam ipsa mater filium sub arborem abjecerit, quam quod
 eum in ista solitudine ab ardore Solis graviter vexatum, ac sitis
 acerbitate propemodum enectum sub arbore siverit reclinare.
 Hanc enim explicationem verbum וַיִּשְׁכַּח in Hiphil positum non
 difficulter admittit. Et quid si etiam Hagar filium juvenem cum
 nutare inciperet, paulisper manu duxerit, ac demum, quando ei
 progredi non amplius esset integrum; in Saram & Abrahamum,
 & fortean in ipsum Deum de ejus fide dubitans, indignabunda sub
 arborem protrusum morti ex sitis magnitudine imminente expo-
 fuerit? Quid enim absurdi ex hoc sequatur, nondum videre mihi
 videor. Quamquam nec inepta est illorum opinio, qui matrem
 non tam brachiis, quam animo filium animam agentem abjecisse
 sentiunt. Atque hæc de primo dicta sint exemplo: ad alterum
 nos convertimus, in quo Moysis infantis fortuna ob oculos nobis
 ponetur.

§. XVII. Amramus Israelita de tribu Levi non incelebris Jo-
 chabedem tribulem amitam duxerat uxorem. His cum calamito-
 sa illa tempestate, qua ex Tyranni mandato Judæorum pueruli
 suffocarentur aquis, formosus nasceretur filiulus, trimestri spatio
 illum abscondidit mater, ne reperiretur a quæstoribus. Sed fer-
 vente denuo ferali inquisitione & infanticidio horrendo, quando-
 quidem propter timorem a vicinis Ægyptiis, quibus permixti ha-
 bitabant Israelitæ amplius celare puerulum non posset, fiscellæ pa-
 pyraceæ argilla & bitumine illitæ inclusum in stagnantis Nili ri-
 pa, unde non facile defluentium aquarum impetu per alveum flu-
 minis

minis raperetur, inter carecta exposuit. Ut igitur Pharaonis filia, (*Thermuthis* audit Josepho, Philoni & Suidæ) pro more gentis, sed tum non sine singulari Omnipotentis providentia lavatum pergeret ad Nilum, misso reliquo, ut in littore spatiaeretur, sexus sequioris famulatio, unam, quæ remanserat, ancillam jussit, ut fiscellam post carecta latentem ad se deferret. Hac adaperata, cum fieret, quem ex circumcissione ad Ebræos spectare judicabat, infans, miserta hujus fortunæ, quando matris soror ex composito se ingereret regiæ virgini, ut nutricis loco ipsa mater accerferetur factum est. Ignara igitur hujus fabulæ, matris fidei, ut ab illa non sine stipendio lactaretur puerulus, committitur a Regis filia: quæ, postquam ille adolevit, in filium adoptatum Ægyptiaca lingua in memoriam fortunæ infantilis *eductum ex aquis* vocavit: quod nominis postea Hebræi in suum vertentes idioma MOSEN reddiderunt. Brevis hæc est eorum summa, quæ ab ipso Mose *cap. II. Exodi* recensentur: quibus multa allevit Josephus *Antiquitatum Judaicarum lib. II.* quæ a narratione fabulari longe non abludunt.

§. XVIII. Neque putaverim Philonis commento, filiam Pharaonis infœcundam, ac Mosen se peperisse mentientem, aliquid inesse ponderis: cui frustra ex Epistola *ad Ebræos* nonnulli quærunt patrocinium. Nam quod ibidem *cap. XI. v. 24.* Moses μέγας γενόμενος λέγεται υἱὸς θυγατρὸς Φαραῶν, *major natu filia Pharaonis filius dici* recusat, id de *Adoptione*, cui nuncium remisit, intelligendum est.

§. XIX. Elegantior fortassis erit illa observatio, quod hæc ipsa Mosis expositio fabulis licet involuta longe lateque ad Gentiles fuerit diffusa. Quæ enim de LIBERO quodam in Ægypto genito, & simul ac in lucem esset editus, arcæ incluso, aquisque imposito in Mythologicis circumferuntur, ex Sacro Codice videntur depravata.

§. XX. Planius hæc proponemus & uberius. Plures Bacchos Veteres in fabulis commemorant. Ex his unus est ÆGYPTIVS. Diodorus Siculus lib. III. *Secundus* (Bacchus) *ex Io Inachi & Jove genitus, Ægypto imperavit, initiationes monstravit.* At MOSEN in Ægypto natum confessæ veritatis est.

§. XXI. Pater Baccho Ægyptio fuit Nilus, Rex Ægypti, a quo
no-

nomen datum Nilo flumini. Cicero lib. III. de Natura Deorum:
Dionysios in uos habemus. Primum e Jove & Proserpina natum.
Secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse. Mofi instar Patris
fuit Nilus, in cujus ripa ab Ægyptii Regis filia repertus est.

§. XXII. Bacchus unus ad littus maris inventus primum. Or-
phica carmina:

Ἀμφὶ Διόνυσον Σεμέλης ἐρμυδέῳ υἱὸν
Μνησομαι ὡς ἐΦάνη ὠδῶν ἦν ἀλὸς ἀτρυγέτοιο.
Te Dionyse Pater canimus, Semeleia proles
Quem videre maris ventrosi ad littora primum.

Gemina de Mose affirmare licet in littore Nili invento.

§. XXIII. Quidam fabulantur, Semelem Jovi Liberum Patrem
peperisse, sed à Cadmo deprehensam cum puero recens nato, con-
jectam in arcam fuisse ligneam, quæ æstu maris ad fines Oreatas
(quod fuit oppidum Laconia) delata sit: sed ab indigenis arca re-
clusa inventam fuisse Semelem mortuam, ac deinceps magnifice
sepultam, puerum autem educatum: unde Oreatæ postea Brasia
dicti sint, eo quod *βράσαι* sint æstus & agitationes maris.

§. XXIV. Fabulæ non essent fabulæ, si omnia convenirent apte.
Satis est nos Liberum Patrem æque ac Mosen in aquis arcæ in-
clusum indagasse.

§. XXV. Bacchus Nymphis plerumque jungitur, a quibus
fertur omni studio curaque educatus. Diodorus Siculus principio
lib. IV. *Infantem Jupiter Mercurio dedit, ad antrum Nyse, quod*
inter Phœniciam Nilumque est, deferendum, a Nymphisque omni stu-
dio curaque educandum. Unde ab Jove Nysaque Dionysium dixerunt:
quod etiam Homerus in Hymnis testatur, inquiens: Est Nysa supra
montem floridum, sylvâ procul a Phœnicia ferme Ægypto fluente.
Nutritum a Nymphis ajunt. Ovidius lib. III. Metamorphos. pri-
mum a matertera Ino furtim educatum, deinde Nymphis datum
fuisse asserit.

Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat, inde datum Nymphæ Nyseides antris
Occulnere suis, lactisque alimenta dedere.

§. XXVI. Moses noster primum a formosa matre clanculum e-
nutritus, cui comes fuit venusta soror. Educatus est postea in re-

B

gia

gia Pharaonis a pulcherrima Regis filia. Quidni hanc coronam pro Nymphis habeamus?

§. XXVII. Sed & ipsum flumen, quod trimestrem excepit infantem, fabulosæ huic Nympharum educationi ansam dare potuit. Quo referas, quod nonnulli *Hyadas* faciant Bacchi nutrices. Est inter hos Ovidius *lib. V. Fastorum*, in his versibus:

*Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse
Tethyos has neptes, Oceanique senis.*

§. XXVIII. Formosæ matris formosior filius erat Liber. Ovidius *lib. IV. Metamorph.*

— — *Tibi enim inconsumta juventa est,
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspicereis cælo.*

Poeta Phallicus:

Trahitque Bacchus virginis tener formam.

Et alio carmine:

Formosus quoque pingitur Lyæus.

Quæ ad hodiernam Bacchi picturam male respondent, nisi abdomen ingens in pulchritudinis partibus velimus censere. Ceterum eximia Mosis forma, etiamsi Josephus eam tacuisset, ex Scriptura eluceret.

§. XXIX. Bacchus quoque Bimater traditur. Diodorus loco laudato: *Ajunt insuper Bimatrem vocatum.* Mosis hoc apprime convenit, ut qui præter veram Jochebedem, alteram, a qua fuit adoptatus, nactus est matrem.

§. XXX. Sufficiant hæc ad nostrum propositum. Nam si universum Bacchi fabularem apparatus excutere institueremus, plura forsitan liceret indagare, quam quæ ab Hugone Sanfondo *lib. I. de CHRISTI descensu ad inferos*, Gerhardo Johanne Vosio *de Idolatria lib. I. cap. XXX.* Samuele Bocharto *Hierozoici part. I. lib. XXXIV.* in medium allata sunt. Et forte in has curas serio deveniremus aliquando, nisi singularis in *Mythologicis* liber a πολυμαθησίτω Viro, Valentino Henrico Voglero, Prof. Medico Helmstädensi, Præceptore quondam meo, nunc Fautore & Amico singulari expectaretur.

CAPVT

CAPVT II.
DE EXPOSITIONE SEMIRAMIDIS
ET CYRI.
SVMMARIVM.

Assyriacum regnum antiquissimum. Historia Expositionis Semiramidis ex Diodoro proponitur. Semiramis a columbis nutrita. An nomen Semiramidis fabule ansam dederit. Semiramis columbam adamavit. Forte sub illa magicarum aliquid artium latuit. Anima Semiramidis cum columbis avolavit. Assyrii columbas religiose coluerunt & ab esu carnis columbine abstinnerunt. Historia Cyri expositi & a cane nutriti recensetur. Lipsius & Cluverius notantur. Quos Deus magnis destinat imperiis, miris sepe modis servantur. In fato Gentilium latent recondita.

§. I.

Hactenus antiquitatem Expositionis ex Sacra Historia a Mosis & Ismaelis usque temporibus repetitam lustravimus. Nunc ad alias antiquas nos convertemus gentes, & nonnullas Expositorum Infantium Historias ab iisdem mutuabimus.

§. II. Assyriacum inter antiquissima esse regna communi Veterum consensu firmatur: imo externorum Scriptorum plerique inde suas exorsi historias, supra Assyrios nihil præclarum in literas retulerunt. Regum autem Assyriorum primus fertur Ninus, cujus uxor Semiramis infans exposita, & a columbis enutrita traditur.

§. III. Diodorum Siculum hujus narrationis habemus auctorem, cujus hæc sunt verba lib. II. Bibliothecæ cap. IV. a Poggio Florentino latine versa: *Est Syriæ urbs Ascalon: haut procul ab hac stagnum est piscibus plenum, juxtaque templum insigne Deæ, quam appellant Dercetam, facie hominis, reliqua parte corporis piscem. Hujus cause fabulam ferunt incolarum literatissimi. Venerem aliquando obviam ei Deæ factam, magnum amorem cujusdam speciosi adolescentis sacrificantis ei injecisse, exque eorum esse coitu filiam natam. Dercetam vero Deam sui peccati pudore ductam amovisse adolescen-*

Deo, filiam vero in loca quaedam deserta ac saxosa, in quibus aves erant plurimæ, exposuisse: ibique quasi divino nutu ab avibus infantem nutritam. Se vero pudore doloreque compulsam in lacum abjecisse atque ibi in piscem conversam. Unde & Syri usque ad hæc tempora his piscibus abstinentes eos pro Deo colunt. Tradunt rem mirandam, aves infantem alis confoventes, nutrisse coagulato lacte ex proximis pastorum mapalibus raptis. Acto anno, cum firmiori cibo egeret, aves caseum eodem ex loco raptum ori infantis aspersisse. Quare a pastoribus ex corrosione casei animadversa, infantem speciosam forma compertam ferunt, nutritamque apud se dono postea datam præfidi pastorum regio nomine *Summa*. Hic liberis carens, ut filiam magna cura nutritam, *Semiramidem* ab avibus (eo enim nomine lingua *Syra* vocantur) appellavit. Quas postmodum Syri omnes ut *Deas* honorant.

§. IV. Nemo naris est tam obesæ, qui non odoretur multa hujus narrationis in meris cubare fabulis: quod haud negavit Diodorus, quando commentum sic concludit. *Hæc de Semiramidis ortu fabule tradunt.*

§. V. Neque tamen omnia forte dixeris commentitia. Fieri potuit Expositio, alimenta que infanti expositæ, Deo id singulariter promovente, præberi potuerunt: præsertim quia plura ejus rei quæ infra intuebimur, exempla afferuntur. Sunt tamen qui existimant, nomen *Semiramidis* causam dedisse fabulæ: ut adeo non tam ab Expositione illud acceperit, quam fabularis Expositio & columbina nutritio ex nomine *Semiramidis* hauserit origines. Certe nomen istud Syris sive *Babyloniis columbam montanam* denotare, voluit *Hesychius*. Σεμίραμις, inquit, ἑστὴν ὄρεσιν ἐδαννισί: Et ex Scriptore *Ebræo*, *Semiramidem* columba pro signo usam observavit *Josephus Scaliger in Eusebianis*: qui tamen *Hesychii* interpretationem non probat, nec sibi tamen satis liquere scribit, quid significet *Semiramis*.

§. VI. Apud *Porphyrium* lib. III. de *Abstinentia Animalium* reperio, *Semiramidi* in deliciis fuisse columbam. Verum tamen, si quid veri subest toti historiæ *Semiramidæ*, quia tam insolentia multa dicitur gessisse mulier, parum abest quin in hanc deveniam opinionem, non sine *Dæmonis* ope tanta patrasse *Semiramidem*,
facile

facileque aliquid magicarum artium latere sub columba à Semiramide adamata. Quo etiam retulerim aves illas, cum quibus anima Semiramidis sub specie columbæ avolasse dicitur: qua de re sic scribit Diodorus cap. V. *Quidam fabulantur illam in columbam fuisse conversam. Compluribus enim avibus domum ingressis, & illam cum reliquis avolasse volent. Quo factum est, ut Syris columbam ut Deam colant, immortalem Reginam arbitrati.* Et quia columbas tanquam τὸ θεῖον habentes religiose coherunt Assyrii, id quod præter Diodorum testantur Xenophon *lib. I. Expeditionis Cyri*, Hyginus *Fabula CXCII.* Clemens Alexandrinus *Parænesi ad Græcos*; sic ut etiam ab esu carnis columbinæ abstinerent, uti auctor est Phurnutus τῷ θεῷ; non planè nulla, ut opinor, erit conjectura, quod sub columba is latuerit genius, cui corvinus habitus convenit propius. Interea grato agnoscimus animo, quæ de columbis ab Assyriis religiose cultis observarunt Viri celeberrimi, Laurentius Ramirez de Prado, Hispanus, *in Pentecontarcho cap. XLIV.* Johannes Seldenus, Anglus *de Dis Syris. Syntagmate II. cap. III.* Samuel Bochartus, Gallus, *Hierozoiici part. II. lib. I. cap. I.* Johannes Henricus Vrsinus *Analector. Sacror. lib. I. loc. VII.* Johannes Saubertus *de Sacrificiis Veterum cap. XXIII.* Elias Schedius *de Dis Germanis Syntagmate I. cap. IX.*

§. VII. Fœmellam in Assyriacis expositam conspeximus: intuebimur prolem quoque masculam. CYRVS nimirum prodeat, Persicæ Monarchiæ conditor felicissimus. Hujus avus Astyages, cum per somnum ex naturalibus filia, quæ ipsi erat unica, vitem, cujus palmite obumbraretur universa Asia, vidisset, & consultis hariolis nepotem ex Gnata proditurum intellexisset, cujus magnitudo sibi suoque regno exitiabilis foret, Cambysi, viro mediocri ex Persis genere nuptum dedit filiam. Ac ne sic quidem, (ut est iniquis natura tyrannorum)posito somnii metu, arcesitam ad se voluit natam, ut in conspectu suo partus necaretur. Credo aliquid humani superfuisse hominis visceribus: cui est indicio, quod Harpago, arcanorum suorum participi infantem occidendum traderet. Hic probe secum reputans, malorum facinorum ministros quasi exprobrantes adspici, ac sæpius levi post admissum scelus gratia, deinceps majori esse odio, præsertim si ad filiam mortuo

B 3

Asty-

Astyage summa devenisset imperii; regii pecoris pastori puerum
 exponendum tradidit, qui imperata haud gravate fecit. At non
 diu jacuit expositus, sed pastoris uxor, cui eo momenti natus erat
 puer, pro rusticana sobole regiam educare cupiens, enixis apud
 maritum precibus effecit, ut suus infans alterius fortunam subiret.
 Cumque pastor in sylvas, quo exposuerat nepotem Regis, rever-
 teretur, juxta illum canis apparuit foemina, parvulo praebens ube-
 ra, & a feris alitibusque defendens, quae puerum, ad casulam pa-
 storitiam quando deferretur, anxie prosequeretur. Hoc modo est
 servatus, qui Cyri nomen inter pastores impetravit, & Regis instar
 se in ludo quodam puerili gessit. Neque tamen, ut putabat ex
 mente conjectorum Astyages, hac ratione regno est defunctus pu-
 er; sed instigante Harpago, in cujus filio trucidando, & Patri epu-
 landum tradendo crudelissime debacchatus fuerat Assyrius tyran-
 nus, eundem regno, & fidem si habemus Isocrati, cujus tamen
 narratio merito nobis suspecta est, vita exiit. Somnium hoc A-
 styagis, miramque Cyri fortunam, certatim, variatis circumstantiis
 enarrant Veteres Graeci, Herodotus *lib. I.* Xenophon in *Cyropedia*,
 Ctesias in *Excerptis*, Aelianus *Var. Histor. lib. XII. cap. XLII.* Athe-
 naeus *lib. XII. Δειπνοσοφιστικῶν*, Lucianus *Dialogo de Sacrificiis*: ex
 Latinis; Valerius Maximus *lib. I. cap. VII.* Hujus tamen error est
 notabilis, quod Harpagum, cui in mandatis erat datum occidere,
 infantem exponendum esse traditum, contra consensum ceterorum
 scribat: cui tamen *παρεγγυαλι*, Lipsius in *Commentariis ad Sene-
 cam*, & Johannes Cluverius *Epitomes Historicae* non indifertus Au-
 ctor, subscripserunt.

§. VIII. Num singula hujus historiae, quam bona fide ex Anti-
 quorum monumentis excerpimus, vero ex asse sint consona, meum
 non est dicere. Et fieri fortasse potuit, ut & Cyri rebus nonnulla
 accommodarent Pagani, quae convenientius de Mose exposito cre-
 di fas est. Quamquam non sum nescius, quid de hujusmodi exem-
 plis pientiores quique doctorum Virorum statuunt: nempe claris-
 sime in iis suam exseruisse admirabilem providentiam Divinum
 Numen, & quia mortales divinis processibus interdum obicem
 voluerint opponere, eo facilius ad praefixam divinitus metam per-
 venisse, quos Dei Opt. Max. beneplacitum magnis gerendis rebus
 destinasset.

§.IX. Fa-

§. IX. Fatum hic gentile non agnoscimus: ipsorum tamen externorum Scriptorum, de Fato cum loquuntur, non contemno ingenium: sic existimans, in tricis suis fatalibus aliquid lucis de divinis decretis latere; quod, quia expertes gratiæ fuerunt S. Spiritus, ita excitari non potuit, ut largo splendore veritatis illustrati tenebrosam mentis caliginem plene planeque deponerent.

§. X. Plinium naturæ mystam in hunc censum refero, qui lib. VIII. cap. XVII. sic scribit. *Quæ de ferarum lacte nutritis, tum essent expositi, traduntur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri æquius, quam ferarum natura arbitrator.* Nec minus Manilium qui lib. IV. Astronom. ostensurus, quod

Fata regant orbem, certa stent omnia lege,
postea subjicit:

*At nisi fata darent leges viteque necisque,
Fugissent ignes Aneam, Troja sub uno
Non eversa viro fatis vicisset in ipsis,
Aut lupa projectos nutritisset Martia fratres.*

CAPVT III.

HISTORIA EXPOSITIONIS ROMVLI ET REMI EXCVTITVR.

SVMMARIVM.

Postquam filia Numitoris, Rhea Sylvia, que ab aliis Servia, a nonnullis Ilia vocatur, a Marte compressa gemellos est enixa, iidem ab Amulio sunt expositi, a lupa nutriti, a Faustulo pastore educati. Diocles Peparethius primus hujus narrationis auctor, quem sequuntur Fabius Pictor & Festus. Testimonia hanc in rem plura, ex Hygino, Dionysio Halicarnasseo, Livio, Strabone, Floro, Justinio, Sarsberienſe: item ex Poetis, Virgilio, Ovidio, Propertio, Claudiano, Sidonio, Prudentio. De Flodoardo quedam, qui antrum, quo in expositi sunt Romulus & Remus suo tempore, ostensum tradit. Ficus Ruminalis Rome servata, sub qua inventi; & de ea Plinii & Varronis ex Festo testimonia. An Romulus ab hac ficu nomen acceperit. Eadem Neronianis temporibus exaruit. Juxta Ruminalem ficum statua aenea nutritionem lupinam

pinam representans. Eadem fulmine caesa. Hæc statua hodie
 superat. De ea Justus Rycquius de Capitolio Romano, & Vlysses
 Brandenburgensis Serenis. CHRISTIANI ERNESTI laudan-
 tur. Lupina nutritio videtur fabulosa, idque ex Livio & La-
 Etantio probatur. Lupa inter Divos relata. Eadem Luperca,
 & ab ea Lupercalia dicta. Romani his fabulis origines suas
 pudendas obtexerunt callide.

§. I.

Commodum Plinii majoris, Manilique fatum ad condito-
 rum Romæ nos deducit Expositionem: qua de per hoc
 caput sermocinabimur.

§. II. Qui Romæ, rerumque Romanarum nobis dederunt ori-
 gines, Rheam Sylviam, Numitoris filiam (*Serviam* Ælianus vocat
Var. Histor. lib. VII. cap. XVI. Iliam Virgilius, Horatius, Ovidius,
 Hyginus, Claudianus, Scholiasta Juvenalis) sacerdotem Vestæ a
 Marte compressam, Romulum & Remum gemellos enixam scri-
 bunt. Hinc Amulium, qui regnum, quod Numitori fratri per æta-
 tem, qua major erat, debebatur, Rheam mancipasse carceri, pueros
 vero exponi jussisse. Sed hos a Faustulo regii pecoris pastore in
 ripa Tiberis a lupa quadam cum enutrientur repertos, a se sua-
 que uxore fuisse educatos.

§. III. Diocles Peparethius primus e Græcis prodidit Roma-
 nas origines, Urbisque res præcipuas, Plutarcho verbis sequenti-
 bus in *Romulo* teste: τῆ δὲ πᾶσι ἔχοντι λόγῳ μάλιστα καὶ πλεί-
 στες μάρτυρες τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτον εἰς τὰς ἑλληνας ἐξέδωκε
 Διοκλῆς πεπαρηθῆς. ὃ καὶ Φάβιος πικτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπι-
 κολλήσεν. Ceterum historia, qua plus fidei invenit, ac plures testes,
 præcipua quæque apud Græcos edidit Diocles Peparethius; quem in
 plurimis sequitur Fabius Pictor. Et aliquanto post: πεπαρηθῆς
 Διοκλῆς, ὃς δοκεῖ πρῶτον ἐκδέναι Ῥώμης κτίσιν. Peparethii Dio-
 clis, qui videtur primus tradidisse origines Romæ.

§. IV. Hujus Dioclis ipsa quidem historia non exstat; nec, quæ
 ex illa in rebus Romuli secutus est Pictor Fabius, amplius super-
 sunt: attamen in Festi fragmento ex Diocle quædam nobis sunt
 servata, quæ ita se habent: Diocles Peparethius ait, Iliam Numito-
 ris

ris Albani Regis filiam gemellos edidisse, quos in ima Tiberis ripa, a Faustulo, regio ministro, expositos juxta ficum appellatam a Romulo Ruminalem, sic jacentes lupam lactasse, & Picum Martium nutrisse, post repertos Accam Larentiam, Faustuli uxorem, educasse. Pergit hinc Festus: Plerique tamen conscio, & alimenta praeunte Numitore nutritos ajunt, quod Ilia ex Marte se peperisse eos asseverabat, ac secreto literis, omni denique liberali disciplina Gabiis institutos atque excultos fuisse, atque ita in Musicis primam pueritiam traduxisse, cum inter aequales omnes praestarent corporis proceritate, & forma, nominatos alterum Romulum, Remum alterum. Eos ubi ex compressu Iliae natos se cognoverint, & quod expositos in ripa Tiberis lupa lactaverit, praebens rumam, monte vicino descendens, & quod reperti a Faustulo sunt educati, Romulusque & Remus a ruma nominati potissimum: praeterea quo Patre essent procreati intellexerint, Numitori avo primum restituisse regnum, deinde de urbe condenda per auguria decrevisse, uter eam conderet, nominaretque, ac Deorum manifesta approbatione Romulum urbem condidisse, eamque nominasse Romam potius, quam Romulam de suo nomine, ut ampliore vocabuli significatione prospere patriae suae ominaretur.

§. V. Julius Hyginus, Augusti libertus, *Fabularum cap. CCLII.* Romulus & Remus Martis & Iliae filii a lupa nutriti sunt.

§. VI. Succedat Dionysius Halicarnassensis, quem itidem sub Augusto floruisse constat. Hic Antiq. Roman. lib. I. latine versus sic scribit: De natis ex Ilia pueris Q. Fabius Pictor, eumque secuti L. Cincius, Porcius Cato, & Calpurnius Piso, alique Scriptores complures, sic tradunt: Infantes Amulii jussu in alveo deportatos a ministris quibusdam, projiciendos in fluvium distantem ab urbe ferme CXX. stadiis. Eos cum accessissent, animadvertissentque exundantem in campos & restagnantem praecontinuis imbribus Tiberim, degressos a Palantii vertice ad aquam proximam, quod non daretur ulterius procedere: & qua collis radices attingebat unda, in alluvie reliquise alveum; qui aliquantisper fluitans, tandem paulatim se recipiente ab extremis unda, impactus saxo & subversus, effudit pueros. Hi dum vagantes volutantur in caeno, lupa forte superveniens distentis a recenti pastu uberibus mammis eis praebuit, lingua simul ablabens lu-

tum quo se inquinaverant. Interea pastoribus armenta pastum a-
gentibus, (jam enim aqua decesserant) quidam ex iis visa lupa in-
fantulos complectente, aliquamdiu hæsit miraculo, vix satis credens
suis oculis: deinde convocatis quotquot poterat e proximo sociis,
cum fidem verbis non impetraret, adducit eos ad spectaculum, qui
& ipsi eo profecti, comperiunt, illam, velut ex se natos complexam;
hos, pendentem velut a matre: moxque rati hæc non sine aliquo numi-
ne fieri, confertim accedunt propius, feramque terrent clamoribus, at
lupa incursum hominum perparum exasperata, ceu mansueta, sensim
abstinit, & ob insanos pastorum strepitus abiit. Non longe inde abe-
rat lucus opacus densitate arborum, & rupes cava manans fontibus:
id nemus ferebatur Pani sacrum, cum ara inibi posita hæc se fera
condidit.

§. VII. Livium nunc audiemus, non tamen tam ex sua, quam
aliorum sequentem sententiam. Hic decadis I. libro I. ista scribit.
Proca deinde regnat. Is Numitorem atque Amulium procreat. Numitori,
qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Sylvie gentis legat.
Plus tamen vis potuit, quam voluntas patris, aut verecundia æ-
tatis. Pulso fratre Amulius regnat. Addit sceleri scelus, stir-
pem fratris virilem interimit. Fratris filie Rheæ Sylvie per
speciem honoris, cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate
spem partus adimit. Sed debebatur (ut opinor) fati tantæ ori-
go urbis, maximique secundum deorum opes imperii principium.
Vi compressa Vestalis, cum geminum partum edidisset, seu ita rata,
seu quia Deus auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stir-
pis patrem nuncupat, sed nec dii, nec homines aut ipsam aut stir-
pem à crudelitate regia vindicant. Sacerdos vincula in custodiam
datur, pueros in profluentem aquam mitti jubet. Sorte quadam
divinicus super ripas Tyberi effusus lenibus stagnis, nec adiri us-
quam ad justum cursum poterat amnis: & posse quamvis languida mergi
aqua infantes, spem ferentibus dabat. Ita velut defuncti regis
imperio, in proxima alluvie ubi nunc ficus Ruminalis est (Ro-
mularum vocatam ferunt) pueros exponunt. Vastæ tum in
iis

his locis solitudines erant. Tenet fama, cum fluitantem abveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destitisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse. Eam summissas infantibus adeo mitem prae buisse mammam, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit (Faustulo fuisse nomen ferunt) ab eo ad stabula Laurentiae uxori educandos datos.

§. VIII. Strabo, qui e Ponti Regibus oriundus Tiberii temporibus claruit, lib. V. Geographiae haec effert: Μυθευονσαι μὲν ἐξ Ἀρεῆς καὶ γυνεὸς τῆς παίδας, ἐκτεθέντας δ' ὑπὸ λυκαίνης ὄρεθῶνας σκυλακευμένους. Fabulantur autem Marte genitos pueros, animadversumque eos a lupa catulorum loco ali. Florum quoque audiemus lib. I. cap. I. ita commentantem: Primus ille & Urbis & Imperii conditor Romulus fuit; Marte genitus, & Rhea Sylvia. Hoc de se sacerdos gravida confessa est: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abiectus in profluentem, cum Remo fratre non potuit extinguere. Siquidem & Tiberinus amnem repressit: & relictis catulis lupa secuta vagitum, uber admovit infantibus, matremque se gessit. Sic repertos apud arborem, Regis pastor tulit in casam, atque educavit.

§. IX. Quid vetat etiam Justinum producere? qui luculentus est in hac narratione lib. XLIII. cap. II. Amulius cum etate priorem Numitorem oppresisset, filiam eius Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit: addita injuriae specie honoris, ut non damnata, sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Marti sacro, duos pueros, incertum stupro, an ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius multiplicato metu proventu duorum, pueros exponi jubet: & puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decesit. Sed Fortuna origini Romanae prospiciens, pueros lupae alendos obtulit: quae amisissis catulis, distenta ubera exinanire cupiens, nutricem se infantibus prae buit. Cum saepius ad parvulos, veluti ad catulos, reverteretur, rem Faustulus pastor animadvertit, subtractosque ferae, inter greges pecorum agresti vita nutrit. Mar-

rios pueros fuisse, sive, quod in luco Martis enixi sunt, sive quod a lupa, quæ in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis, creditum. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere.

§. X. Adscribemus quoque Sarisberiensis verba ingenium non vulgare, & eloquentiam non illius ætatis præ se ferentia, ex lib. I. de Nugis Curialium cap. XIII. Lupi efficaciam non negabit, quisquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum; unde plerumque quod in iis dulcius est, adhuc lupinum saporem retinet, primique eorum fidem, quam a matre lupa didicerant, sibi invicem servaverunt.

§. XI. Versus etiam nonnullos afferemus, quibus lupæ expositorum gemellorum curam commiserunt Poëtæ. Virgilius lib. I. Æneid. v. 280.

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem,
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine latus,
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

Ovidius lib. II. Fastor.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?

Propertius lib. II. Eleg. VI.

— tu criminis auctor

Nutritus duro Romule lacte lupæ.

Idem lib. IV. Eleg. I.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus

Qualia creverunt mœnia lacte tuo?

Juvenalis lib. IV. Sat. XI. v. 103.

Magnorum artificum frangebatur pocula miles,

Vt phaleris gauderet equus, cælatæque cassis

Romula simulacra feræ mansvescere iussæ

Imperii fato, & geminos sub rupe Quirinos

Ac nudam effigiem clypeo venientis, & hasta

Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.

Sic Claudianus de Bello Getico memorat

Nutricemque lupam Romæ,

Et

Et Panegyrico de Consulatu Olybrii & Proбини.

*Hic patrius Mavortis amor, partusque notantur
Romulei, post amnis inest, & bellua nutrix,*

Sidonius Apollinaris Carm. II. v. 119.

Præbuit intrepido mammæ lupa fœta Quirino.

Prudentius lib. II. contra Symmachum v. 392.

*At tuus hic Urbis Genius, dicas volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primum se infundere Romæ,
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis
Infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos.*

§. XII. Flodoardus, Historiæ Rhemensis conditor, suo etiam-
num ævo, (id erat medio decimo a nato Servatore seculo) com-
monstratum tradit antrum, quo in Romulum Remumque lacta-
verit bellua. Sed credibile est eum priscum aliquem scriptorem
exscribere, quam de suo commentari.

§. XIII. Sed & jam olim ficus in Comitio Romano fuit, sub
qua inventos Romulum Remumque expositos fama sparsit: quæ
Ruminalis a *ruma* five mamma lupæ dicta fuit. Videatur Plutar-
chus in *Questionibus Romanis XXXVII.* & in *Romulo cap. V.* & de *Fortu-
na Roman. cap. XII.* Eadem de re Plinius *lib. XV. cap. XVIII.* cu-
jus verba ex emendatione Dalechampii, ejusdemque simul inter-
pretatione distincta proferemus. *Colitur ficus in foro ipso Romano*
(in foro judiciario; prope curiam sub Veteribus tabernis) *ac Co-
mitio* (ad Libonis puteal) *sata ab Augurè Attio Navio, sacris ibi*
conditis (novacula & cote, quam cote etiam præciderat) & *tan-
quam in comitium sponte transfisset.* (e curia, Ruminalique ficu,
nec illam sevisset Navius) *Illam cum arefcit, rursus cura Sacerdotum*
seritur. Magis altera (colitur) *ob memoriam ejus* (lupæ) *que*
nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris (conditorum) *Ruminalis ap-
pellata, quoniam sub ea inventa est lupa, infantibus præbens rumam:*
ita vocabant mammam, miraculo ex are juxta dicato.

§. XIV. Fateor hanc emendationem paulo longius a vulgata
abire lectione: sed quia rem ob oculos ponit evidentius, eo trans-
scribendam esse modo duxi. Hanc *Ruminalem ficum* jamdiu an-
te prædicavit Varro, ut est apud Festum in *Ruminalis*. Verba hæc

sunt: *Ruminalem ficum appellatam ait Varro prope curiam sub Ve-
teribus, quod sub ea arbore lupa rumam dederit Remo & Romulo,
id est mammam. Mamma autem Rumis dicitur.*

§. XV. Ab hac Ruminali ficu, sub qua inventi pusiones, non-
nulli nomen ipsum Romuli deductum voluerunt, ipso tamen Fe-
sto his verbis reclamante: *Romulum quidam a ficu Ruminali, alii,
quod lupa rumam nutritus est, appellatum esse, ineptissime dixerunt,
quem credibile est a viriana magnitudine, item fratrem ejus appel-
latos.*

§. XVI. Hæc ficus Ruminalis sub Nerone, qui perditissimis
moribus exitium publico statui minabatur, exaruit. Tacitus sine
Annalis XIII. Eodẽ anno (puta V.C. MCCXXI.) *Ruminalẽ arborẽ in comi-
tio, quæ super octingentos & quadraginta (triginta mavult Lipsius) an-
te annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & ares-
cente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos
fœtus revivisceret.*

§. XVII. Juxta Ruminalem ficum statua quoque fuit ænea
lupam cum lactantibus gemellis repræsentans. Indicant hoc ulti-
ma Plinii verba: *Miraculo ex ære juxta dicato.* Rescriberem, si
per acutos liceret Criticos, *simulacro.* Idem testatur Livius lib. X.
in Aedilitate Ogulniorum: *Jovemque in culmine Capitolii cum qua-
drigis, & ad Ficum Ruminalem, simulacra infantium, conditorum
Vrbis, sub uberibus Lupa posuerunt.* Dionysius Halicarnasseus
Antiquitatum Romanar. lib. I. cap. X. ex Fabio Pictore sic ejus rei
meminit. *Sacellum est juxta illum, ubi est statua hujus casus. No-
tissima historia est index: lupa videlicet duobus infantibus mammam
prebens: opus antiquum ex ære factum.*

§. XVIII. Fuit & in Capitolio ejusmodi lupina statua, quæ ful-
mine de cælo tacta ab Vrania Tulliana describitur lib. I. de divinatione,
his versibus:

*Nam Pater altitonans stellanti nixus Olympo
Ipse suos quondam tumulos, ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.
Tum species ex ære vetus, generataque Nata
Concidit, elapseque vetusto nomine leges:*

Et

*Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
 Hic Sylvestris erat Romani nominis alrix,
 Martia, quæ parvos Martortis semine natos
 Uteribus gravidis vitali rore rigabat.
 Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
 Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.*

Idem Lib. II. de divinatione tres priores, quos laudavimus, ver-
 sus postquam repetiisset, hæc addit soluto sermone: *Tum statua
 Natta, tum simulacra Deorum, Romulusque & Remus cum alerice
 bellua vi fulmine icti conciderunt, deque his rebus haruspicum ex-
 stiterunt responsa verissima. Et nonnullis interjectis: Romulus læ-
 etens fulmine ictus. Urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille
 condidit.*

§. XIX. Romæ adhuc ejusmodi hodie spectatur statua, quam
 æri incisam eleganti suo de *Capitolo Romano Syntagmati cap. XXIV.*
 inseruit eruditissimus, & fato longiori dignissimus Justus Rycquius. Et
 vero quia fulminis $\pi\lambda\eta\gamma\eta\nu$ in crure hiulcâ ostendit, eandem esse con-
 jicit, quam Cicero depinxit. Ejusdem statuæ mentionem facit *V-*
lysses Brandenburgensis, hoc est aureolus ille liber, qui Itinerum Se-
 renissimi Marchionis Brandenburgensis CHRISTIANI ERNESTI
 Historiam complectitur *cap. VI.*

§. XX. Ut ut autem in Ruminali ficu sua, statuisque lupinis
 mirifice sibi placuerint Romani: vix tamen est quod credamus, rem
 de lupina nutritione ita prorsus se habere. Quin illis potius as-
 fenserimus, qui Faustuli uxorem *Lupam* a moribus dictam volunt.
 Non id dissimulat Romanæ Pater Historiæ Titus Livius, qui hæc aper-
 te scripsit lib. I. *Sunt qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter
 Pastores vocatam putent: inde locum fabule ac miraculo datum. Ad
 Livium provocat Cicero Christianus, Divinarum Institution. lib. I.
 cap. XX. Romuli nutrix lupa honoribus est affecta divinis: & ferrem,
 si id animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Auctor est Livius,
 Laurentia esse simulacrum & quidem non corporis, sed mentis & mo-*
rums

rum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgatam corporis vilitatem Lupa inter pastores, id est meretrix nuncupata est, unde etiam Lupanar dicitur. Huc etiam spectant illa Divi Hipponensium Præfulis, qui tamen dubitanter de meretrice commentatur: Lupa illa fratrum duorum nutrix, quod videtur quasi magnum existisse portentum, quale aut quantum est ad demonstrandum Deum? Certe enim etsi non meretrix fuit lupa illa, sed bestia, cum fratribus portentum commune fuerit ambobus, frater tamen ejus non habetur Deus.

§. XXI. Quod Lactantius Lupam cultu divino maectatam refert, id patet quoque ex inscriptione lapidis antiquissimi, cujus hoc est initium:

LVPÆ ROMANÆ
M. VALERIVS. PHOEBVS
VI. VIR. AVGVST.

Eandem videtur adorare Propertius initio libri IV.

Optima nutricum nostris LVPÆ MARTIA rebus;

Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Mœnia namque pio conor disponere versu,

Hei mihi quod nostro est parvus in ore sonus!

§. XXII. LUPERCA nomine alio hæc Diva fuit appellata. Varro in hac re laudat testem Arnobius Libro IV. adversus Gentes: Quod abjectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca, inquit, Dea est auctore appellata Varrone. Ex rerum ergo proventu, non ex vi nature Dea ista est prodita; & postquam feros morsus immanis prohibuit bellua, & ipsa esse occæpit, & ipsius nominis significantiam traxit. Aut si fuit jamdudum Dea, priusquam Romulus nasceretur & frater, cuius fuerit nominis atque appellationis expromite.

§. XXIII. Atque Lupercalia festum secundum quorundam sententiam hinc suam traxit appellationem. Valerius Max. lib. II. cap. II. Lupercalium mos a Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum letitia exultantes, quod his avus Numitor, Rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino,

hor.

hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander Argivus consecraverat. Plutarchus in Romulo: Lupercalia Graecis Lycaea vocantur, cujus nominis ratio videtur esse pervetusta, et ab Arcadibus, qui cum Evandro fuerunt, deducta: possunt tamen etiam a lupa, quae vis Lycena est, dicta videri, cum Luperci cursum suum, ab eo loco, quo Romulus expositus fertur, ordiantur.

§. XXIV. Egregie autem Parentis & conditoris honori confu'erunt Romani, cum dissimulatis fortuitae, & impurae ejus nutriculae officiis, sub artificiose excogitati animalis schemate rem pudendam obtexerunt. Pari ut commento Martem Deum ex eo conflagrunt, qui cum matre Romuli & Remi consuevit. Hoc enim strategemate natalium infamiam abscondere laborarunt. Sed ut oppreili jugo servitutis in gratiam Dominae gentis hoc credere visi sunt populi alii, verus tamen animi sensus libere tandem prorupit, cum veritas nullo amplius constaret periculo. Sic enim scite Ausonius in divitem quendam gloriosum:

Martem, Remumque & conditorem Romulum

Primos Parentes nuncupat.

Credo quod illi nec Pater certus fuit,

Et mater est vere lupa.

Et qui contra gentilium stuporem scriberent nascentis Ecclesiae Doctores nihil, quo Romanos in ruborem darent, hac in causa omiserunt: ceu illa jam tum producta declarant testimonia: quorum plura alibi Deo volente, recensebimus.

CAPVT IV.

SYLLOGE ANTIQVORVM RITVVM

CIRCA EXPOSITIONEM OBSERVARI SOLITORVM.

ITEM DE LOCIS IN QVIBVS INFANTES

SVNT EXPOSITI.

SVMMARIVM.

Infantes recens nati ab obstetricibus in terram deponebantur. Graeci id vocabant πίπτειν παρὰ μητρὸς, & ἐπὶ τὴν γῆν: Latini; Cadere de matre, de alvo matris, in terram cadere. Opis Dea huic mori praeposita, Opinio Veterum de Infantibus prius vocem non e-

D

den-

dentibus quam terram contigissent. Infans in terram positus ere-
 Etis pedibus super humum statuebatur: cui ritui Deum Statilinum
 Deamque Statilinam praeficiebant Gentiles. Infantes a Patre
 vel Avo, aut cognatis aliis terra levabantur. Id officii Poëtae
 Deabus adscribunt, & si quos vituperare volunt, Furiis. Apud E-
 braeos moris erat recens natos genibus imponere. Phrases: Tollere,
 Suscipere liberos. Levana Dea. Receptio in gremium nota prolis
 agnitae & educandae. Alioquin necabantur infantes, inprimis si
 mutuli essent & monstrosi. Hermaphroditi jussu Aruspicum ali-
 quoties necati. Spartae manci deformesque foetus praecipitaban-
 tur e sublimi. Aristoteles probat mancorum infantium necem.
 Locus Aristotelis male intelligitur de Expositis. Infantes mulie-
 bris sexus impune nonnunquam occidebantur. Infantes vel aquis
 mersi, vel strangulati. De locis in quibus expositi infantes. Cy-
 nosarges Athenis. De Lactaria columna aliis absentitur. Ad
 Januam aliorum infantes repositi. Christiani Veteres in Eccle-
 siis quandoque reliquerunt liberos tenellos. Idem nonnunquam
 in angiportibus; Item ad cloacas abjecti. Alienae misericordiae
 exponere quid. Infantes in locis desertis expositi: sed mire inter-
 dum servati & a feris lactati. Multa in hanc rem exempla & in
 his Telephi, Atalanta, Jovis, Habidis. Ex Procopio, & Adden-
 dis Lamberti Schafnaburgensis singularia. Infantes vel nudi vel
 involucris tecti sunt expositi. Graeci liberos in vasis fictilibus ex-
 posuerunt. Monumenta aliquando seu Γρωγίσματα infantibus
 addita: quae Δέματα & crepundia dicta. Annuli inter haec moni-
 menta. Causae cur talia expositis data. Infantum cui interdum
 nota sunt iniustae.

§. I.

Singularis apud Veteres Graecos & Romanos ritus erat, ut, quam-
 primum infans in lucem esset editus, in terram ab obstetrice de-
 poneretur. Graeci id dicebant πίπτειν παρὰ μητρὸς. itemq; πίπτειν
 ἐπὶ τὴν γῆν. Latini etiam de matre; de alvo matris; in terram, cadere.
 Homerus eo videtur respexisse Iliad. XIX. his versibus:

ἢ μὲν

Ἦ μὲν τὸν πάντας, περιχτιόνεσσιν ἀνάξειν
Ὅς κὲν ἐπ' ἡματι τῷ δὲ πέση μετὰ πρὸς γυναικός.
*Certe quidem hunc omnibus circumvicinis dominaturum
Qui in die hoc cadet inter pedes mulieris.*

Vt & Hymno in Mercurium :

Ὅς καὶ ἐπειδὴ μητρὸς ἀπ' ἀθανάτων ἴσσε γυίων.
Qui postquam salit de immortalis matris corpore.

Nec defunt, qui opinantur hunc ritum designasse Auctorem libri
Sapientiae, cap. VII. v. 3. Ἐγὼ γενόμενος ἔσπασα τὸν κοινὸν ἡμῶν
ἀέρα, καὶ ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθεῖν κατέπεσα γῆν. *Ego natus traxi com-
munem nobis aerem, & in similiter affectam decidi terram.* Ovidius,
modo is sit auctor, in Ibin :

*Qui simul impurae matris delapsus ab alvo,
Cyniphiam fædo corpore presit humum.*

Claudianus in Rufinum lib. I.

*Rufinus : quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio.*

Justinianus l. III. Cod. de postul. hæred. institut. *Licet illico, post-
quam in terram cecidit, decessit.* Credibile est, hunc ritum tetigisse
Suetonium, quando in Octavio cap. V. ex Senatus Actis C. Lectori-
um patricii generis adolescentem in deprecanda graviore adulterii
pœna inter cetera hoc quoq; Patribus adducit allegantē: *se esse posses-
sorem, ac velut editum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset.*

§. II. Isti autem mori præficiebat cæcitas Gentilium *OPEM
DEAM.* Augustinus de C. D. lib. IV. cap. XI. *Ipsæ Opem ferat nascenti-
bus excipiens eos sinu terræ, & vocetur Opis.*

§. III. Inter ceteras ritus hujus causas erat non postrema,
quod putarent vocem prius ab infantibus non edi, quam terram
contigissent. Macrobius Saturnal. lib. I. cap. XII. *Mercurium, ideo
illi in sacris adjungi dicunt; quia vox nascenti homini terre contactu
datur. Scimus autem Mercurium vocis & sermonis potentem. Au-
ctor est Cornelius Labeo, huic Maje edem Kl. Majis dedicatam sub no-
mine Bone Dee: & eandem esse Bonam Deam & Terram ex ipso ritu oc-
cultiore sacrorum doceri posse confirmat: hanc eandem Bonam Deam
Faunamque & Opem & Fatuam Pontificum libris indigitari. Bo-
nam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est. Faunam; quod
omnium usui animantium favet. Opem, quod ipsius auxilio vita con-*

stet. Fatuam a fando, quod, ut supra diximus, infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram.

§. IV. Sic positus in terra matre infans ab obstetrice super humum pedibus erectis statuebatur. Varro lib. II. de Vita Populi Romani apud Nonium Marcellum: *Natus si erat vitalis, ac sublatu ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse.*

§. V. Novus huic mori dedicandus erat Deus, quem STATILINVM fuisse appellatum, auctor est B. Augustinus de Civ. Dei lib. IV. cap. XXI. *Quid, inquit, necesse erat Opi Deæ commendare nascentes, Deo Vagitano vagientes, Deæ Cuninae jacentes, Ruminae sugentes, Deo Statilino stantes, Deæ Adoneæ adenntes?* Nec satis erat Deum finxisse: Comes jungenda erat Dea, quæ STATINÆ nomen haberet. Tertullianus de Anima cap. XXXIX. *Prima etiam constitutio infantis super terram Deæ Statinae sacra est.* Ita enim recte locum emendavit Jacobus Cujacius *Observation. lib. XI. cap. XXX.* cum antea corrupte legeretur: *Statim Ædæ sacrum est.* Merito autem ridet ibidem Cujacius πολυθεΐαν Paganorum, quando scribit: *Varro Statinum Deum facit pueritiæ præsidem: nec tamen discrepat ab illis, qui Statinam appellant: quia Numina sunt hermaphrodita & incorporea, adeoque, quod volunt, corpus assumunt.*

§. VI. Porro ab obstetrice erecti infantes terra levabantur a Patre, vel Avo, vel Cognatis aliis utriusque sexus, & in gremio sinuque non sine blanditiis fovebantur. Claudianus Honorio de nuptiis gratulaturus optat: ut

— natus in ostro

Parvus Honoriades genibus subsidat avitis.

Papinius Statius Epicedio in filium:

— Meus, ille meus! tellure cadentem

Excepi, & vinctum genitali carmine fovi.

§. VII. Hinc Poëtæ honoris & venerationis ergo id officii sæpe adscribunt Deabus. Ita Venus Violantillæ dignitatem celebratura apud Statium lib. I. Sylv. I. Cupidinem his affatur versibus:

— Hanc ego formæ

Egregium mirata decus, cui gloria Patrum,

Et generis certabat honos, tellure cadentem

Excepi, fovique sinu.

Apud

Apud eundem Poëtam Lucani laudibus accensetur, quod a *Calliope* fuerit in sinum receptus: quando in ejus *Genethliaco* ita canit:

*Nam protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.*

Idem munus *Parthenopæ* tribuitur in ejusdem Poëtæ lib. I. Sylv. I.

*At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti.*

Sidonius Apollinaris carm. XXIII.

*Quem primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu novem sorores.*

§. IIX. E contrario, si quem vituperare vellent magnopere, a Furiis significabant receptum. Hoc sensu Claudianus *Megarum*, Rufini eximiam nativitatem depingentem inducit loquentem lib. I. in eundem:

*Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius fœta, violentius Austris
Aeribus, Euripi refluis incertius undis,
Rufinus: quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio.*

Oedipus ad *Tisiphonem* lib. I. Thebaidos Statii:

*Si bene quid merui, si me de matre cadentem
Fovisti gremio.*

§. IX. Facile autem adducor, ut credam, hunc morem, imponere genibus recens natos, Ebræis quoque familiarem fuisse. Sic enim legimus Genes. XXX. v. 3. *Ingredere ad illam* (sic Rahel Jacobum de Bilha alloquitur) *ut pariat super genua mea.* Item cap. L. *Filii quoque Machir, filii Manasse, nati sunt in genibus Joseph.*

§. X. Ab hoc ritu tollendi infantes procul dubio etiam sunt natæ phrasæ illæ: *Tollere liberos; suscipere liberos*: quod erat, religiose illos sublato e terra cum cura postea fovere, & educare. Terentius Andr. III. I.

Nam quod peperisset, jussit tolli.

D 3

Idem

Idem Heavtontimorumen. IV. I. ubi Sostrata:

*Meministi me esse gravidam, & mihi te maximo opere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli? Chremes. Scio quid feceris.
Sustulisti.*

Et Adelph. V. III.

*Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore.*

Vbi tamen alii legunt: *Pro re tolerabas tua.* Cestius Pius apud Senecam Rhetorem lib. II. Controv. IX. *Dives sustulit unicum filium, non fuit contentus, quid enim erat diviti unus? tres sustulit.* Seneca Philosophus *Consolat. ad Marciam, cap. XVII.* *Consulti de nobis Parentes nostri, qui cum conditionem vite nosset, in hanc nos sustulerunt.* Idem de *Clementia lib. I. cap. XIII.* *Tollere filios cupiunt, & publicis malis sterilitas indicta recluditur.* Tacitus in vita *Agricolæ: Auctus est ibi filia: in auxilium simul & solatium.* *Nam filium ante sublatum brevi amisit.*

Juvenalis lib. III. Sat. IX.

*Quod tibi filiulus vel filia nascitur ex me.
Tollis enim, & libris Actorum spargere gaudes
Argumenta viri.*

Plinius in Panegyrico Trajani laudibus dicto cap. XXXVI. *Locupletes ad tollendos liberos ingentia premia, & pares poenae cohortantur.* Et in fine capituli: *Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat & expediat.* Lactantius *Divinar. Institut. lib. I. cap. XVI.* *Quid ergo est quare apud Poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere?*

§. XI. Iterum huic allevationi, ut ea esset auspiciosa, LEVANA assignabatur a Gentilibus Dea. Augustinus de *Civ. Dei lib. IV. cap. XI.* *Ipse levet de terra, & vocetur Dea Levana.*

§. XII. Atque solennis hæc receptio in gremium nota erat prolis agnitæ & educandæ. Nam si id omitteretur, infans vel necabatur, vel exponebatur.

§. XIII. Ergone, inquis, eo dementiæ venerunt Veteres, ut tenellam ætatem statim privarent illa, quam recens adspexerant, luce? Non aliter, quicquid mireris, res se habet: præsertim si debiles, manci ac mutili essent: Idque luculentis demonstrabimus Veterum testimonio-

stimoniiis. Romulus quasi pietati publicæ fecisset satis, si lege lata masculos & ex filiabus primogenitas juberet educari, de cetero Parentibus arbitrium permisit vel exponendi vel necandi infantes. Hac de re ita scripsit Dionysius Halicarnasæus: *Romulus primo necessitatem colonis imposuit educandi, quicquid esset masculum, & e filiabus primogenitas: nullam autem prolem necari permisit minorem triennio, nisi quid mutilum, aut alioqui prodigiosum in ipso partu esset editum.*

§. XIV. Eandem Legem revocarunt Decemviri in LL. XII. Tabularum. Verba Legis hæc feruntur: *Insignis ad deformitatem puer brevi tempore creatus multoque tetrior fœdior dirus esto.*

§. XV. Eam postea in Androgynis exsecuti sunt Aruspices, M. Messala & C. Licinio Cosf. Julius Obsequens *de Prodigis: In Umbria semimas duodecim ferme annorum natus, Aruspicumque jussu necatus est.* Et denuo L. Metello & Q. Fabio Maximo Cosf. Idem Obsequens: *Androgynus natus præcepto Aruspicum in mare deportatus.* Iterum Cn. Domitio, & C. Fannio Cosf. eodem Scriptore attestante: *In foro Vesano Androgynus natus, in mare delatus est.* Denique L. Cæcilio, & L. Aurelio Cosf. *Saturniæ Androgynus, inquit Obsequens, annorum decem inventus & mari demersus.* Atque huc, credo, respexisse Plinium, quando lib. VII. *Nat. Histor. cap. III.* Hermaphroditos & Androgynos in prodigiis habitos notat. Sic enim scripsit: *Gignuntur & utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis.*

§. XVI. Idem institutum Spartanorum quoque fuit lege Lycurgi, sancitumque, ut nani manci & deformes per præcipitia quædam dejicerentur. Videatur Plutarchus in *Lycurgo cap. XXX.*

§. XVII. Aristoteles quoque non improbavit mancorum liberorum necem. Ita enim lib. VII. *Politic. cap. XVI.* Περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τοφῆς τῶν γυνομένων ἔστι νόμος, μηδὲν πεπιρωμένον τρέφειν ἀλλὰ δὲ πλήθος τέκνων, εἰάν τις τῶν ἐργῶν κωλύη, μηδὲν ἀποτίθεσθαι τῶν γυνομένων. ὠρίσθαι γὰρ δεῖ τῆς τεκνοποιίας τὸ πλήθος εἰάν τις ποι γίγνηται. ἀλλὰ ταῦτα συνδυαθέντων πρὶν αἰσθῆσαι ἐγγένεσθαι καὶ ζῶειν, ἐμπιεῖσθαι δὲ τὴν ἀμβλωσίν. τὸ γὰρ ὄσιον καὶ τὸ μὴ δεωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τὸ ζῆν ἔστι. *Circa trucidationem.*

tionem autem vel educationem filiorum lex sit, nihil corruptum enutrire. In aliis vero si mores gentis prohibeant natos de medio tollere, ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, ut duplicatus sit filiorum numerus (nam is definitus esse debet) ad multitudinem nimiam evitandam antevenire oportet, ut non concipiantur. Nam postquam concepti sunt, & sensum aut vitam acceperint, nefas est attingere eos. Mutilatos foetus licite necari posse arbitratur; perfectos non item: si vero crescente civium multitudine & hominum numerus secundum mores civitatis minuendus sit, tolerabilius credit abortum procurare, antequam foetus vivere incipiat.

§. XVIII. Scio quidem hunc Philosophi locum a nonnullis de Expositione explicari; quasi inculcet exponendos esse foetus mancos & corruptos: verum quia hic non utitur verbo ἐκτίθεσθαι quod proprie significat *Exponere*, sed ἀποτίθεσθαι, id recte de tollendis & necandis liberis accipimus. Quam turpiter autem in hac ferenda lege peccet Aristoteles, hoc loco non est nostrum ut exserte ostendamus; & cuivis id manifesto arbitror constare.

§. XIX. Non autem soli infantes mutili & monstrofi hanc fortunam subire necessum habebant; sed & sequior sexus Patribus interdum exofus praesenti destinabatur neci. Terentii *Heautontimorumenos* Chremetem nobis sistit Sofratae uxori imperantem, ut recens nata necaretur puella. Ejus praeccepti memor Sofrata, cum per expositionem servata esset puella, maritum sic alloquitur Act. IV. Sc. I.

*Meministi in' me esse gravidam, & mihi te maximo opere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli?*

Ipsa Sofrata, quod expositam maluerit, deprecatur delictum his verbis: — *Si peccavi, mi Chreme, insciens feci.* Peccatum agnoscit, ubi nullum erat. Ettamen graviter maritus eam reprehendit his verbis:

*Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum
Imperium exequi voluisses, interemtam oportuit*

Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.

Sic apud L. Apulejum *Metamorph.* lib. X. Pater peregre proficiscens mandavit uxori suae, quod sarcina pragnationis oneratam eam relinquebat: ut, si sexus sequioris edidisset foetum, protinus quod esset editum necaretur. At illa per absentiam mariti natam insita matris pietate

tate preventa descivit ab obsequio mariti: eamque prodidit vicinis
alumnandam. Regressoq; jam marito, natam necatamq; puellam nun-
ciabat.

§. XX. Duo potissimum erant mortis genera, quibus spiri-
tum eriperent infantibus. Vel enim aquis eos mergebant, vel stran-
gulabant illos. De priori Seneca de Ira lib. I. cap. XIV. Portento-
sos fœtus exstinguimus; liberos quoque si debiles monstrisque editi sunt,
mergimus. De posteriori Arnobius lib. II. contra Gentes: Vos video
procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos mi-
sero mortis genere elidere. Item Lactantius lib. V. cap. IX. Non de
nostro, sed ex illorum numero semper existunt, qui natos ex se pueros aut
strangulent, aut, si nimium pii fuerint, exponant. Et lib. VI. cap.
XX. Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes
existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, &, quantum
in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulasent. Utrumque sup-
plicium conjungit Philo: Certe, (verba hæc ejus sunt e græco versa)
homicida infanticidaque sunt manifestarii, sive scelus id peragunt suis
manibus, immaniter elidendo præfocandove recentem spiritum: aut in
flumen mareve projiciendo e sublimi, quo celerius mergatur ac profun-
dius. Tertullianus hanc sævitiam tangit, sed paucis, libro ad Uxo-
rem cap. V. Quærenda nobis onera sunt (liberorum) quæ & a gentiliis
profanis vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidiis expugnantur.

§. XXI. De trucidatione Infantum satis; ad Expositionem, de
qua potissimum hæc suscepta est tractatio, nos convertimus. Sed
quia nulla eget dubitatione Infantes fuisse expositos, nunc illud pri-
mum expediemus, quibus in locis facta fuerit Expositio.

§. XXII. Varia erant loca, quibus commendabant infantes ex-
positos. Erant autem vel intra civitatum pomeria, vel extra ci-
vitates.

§. XXIII. Athenis erat locus, qui Cynosarges dicebatur, quo de-
ferebant spurios infantes exponendos. Suidas: Κυνόσαργες, τό-
πος ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τὰς νόθας τῶν παιδῶν ἔταττον. Cyno-
sarges, locus in Attica, ubi spurios infantes ponebant: & causam sub-
jungit: quia Hercules ibi templum, qui & ipse inter spurios fuit.

§. XXIV. Justus Lipsius Centur. I. ad Belgas, Epist. LXXXV. Ja-
cobus Rævardus Conjectaneor. lib. I. cap. XVII. & qui hos sequuntur,
Romæ ad Lactariam columnam infantes expositos putant delatos.

E

Pro-

Probant id testimoniis Festi & Victoris, quæ nos quoque adscribe-
mus. Istius verba hæc sunt: *Lactaria columna in foro olitorio, quod
ibi infantes lacte alendos deferebant.* Hic iisdem pœne verbis in
descriptione Urbis: *Forum olitorium: In eo columna lactaria, ad quam
infantes lacte alendos deferebant.*

§. XXV. At enim quia his in locis nulla fit expositorum, sed
tantum infantum lacte alendorum mentio, non immerito dubitave-
rim in foro Urbis, in loco tantopere frequentato repositos fuisse
fœtus recens editos: credoque potius circa hanc columnam resedis-
se mulieres, quæ certa mercede conductæ infantes eo allatos lacte
suo alerent.

§. XXVI. Ad januam vicinorum, vel aliorum quorumcunque
infantes repositos invenio. In Andria Terentii IV. IV. ingeniosus
nequam Davus Myfidi fœtum Glycerii exhibet his verbis:

Accipe a me hunc ocys

Atque ante nostram januam appone.

Cui Myfis: — *Obsecro*

Humine? At Davus: Ex ara hinc sume verbenas tibi,

Atque eas substerne.

Et sequente Scena, Davus quasi hujus fabulæ ignarus Myfidem sic
affatur:

Propera adeo puerum tollere hinc ab janua;

Et minatur nisi id faceret:

— *Nunc adeo, ut tu sis sciens,*

Ni puerum tollis, jamjam ego hunc mediam in viam

Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.

Suetonius in Claudio cap. XXVII. *Claudiam ex liberto suo Botere
conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, aliq̄
cœptam, exponi tamen ad matris januam, & nudam jussit abjici.*

§. XXVII. Inter priscos quoque Christianos pessimus quan-
doque mos invaluit, ut in sanctis templis, sive, ut tunc appellaban-
tur, in *Ecclesiis* relinquerent infantes: Justinianus Imp. Novella
CLIII. *Dei amantissimus Thesalonicensis Ecclesie apocrisiarius An-
dreas ad nos retulit, quod quidem vix ex utero progressas infantes abji-
ciant, inque sanctis eos relinquant Ecclesiis.* Et Cod. lib. VIII. Tit. LIII.
leg. IV. *Sancimus, ut quoscunque vel in Ecclesiis, vel in vicis, vel aliis lo-
cis*

cis abjectos constiterit, ii modis omnibus liberi sint. Idem patet ex ver-
bis Scholiastæ Græci in *Epitom. 5. Canonum* ab Elmenhorstio in *Com-
mentar. ad Minucium Felicem laudatis*: *ὡς δὲ τῶν ἐκτιθεμένων τὰ
οἰκεία βρέφη πρὸς ταῖς εἰσόδοις τῶν ἱερῶν, λόγῳ ὅτι τὰς ἐ-
ξῆς συνόδῃ γέροντες, καὶ ἤρεσαν, ὡς φωνεῖται τὰς κολαζέσθαι,
καὶ ἕτερον ἀνέλθαι, καὶ ἐπιμελησάμενον ζωογονήσῃ.*

§. XXVIII. Vt scelus eo perageretur occultius, in angiportibus
projiciebant tenellos. Plautina læna in Cistellaria hæc fatur temulen-
ta Act. I. Sc. II.

— *parvulam*

Puellam projectam ex angiportu sustuli.

§. XXIX. Ad cloacas publicas Romæ exponi solitos infan-
tes prodidit Scholiastes Juvenalis ad Satyram VI. v. 600. & ipse Sa-
tyricus subindicat his versibus:

*Transeo suppositos, & gaudia, vota que sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos.*

Eilhardus Lubinus ad hæc sic commentatur: *Per spurcos lacus intel-
ligit lacum Velabrensem immundum. Eo enim deferebantur & ex-
ponebantur spurci. Unde nobiles matrone pueros inventos petebant,
& pro suo partu maritis ostendebant.*

§. XXX. Atque in urbe, præsertim in loco conspicuo quæ
deponebatur ætas tenella, *alienæ misericordiæ exponi dicebatur.* Ter-
tullianus Apologet. cap. IX. *Inprimis filios exponitis suscipiendos ab
aliqua prætereunte misericordiæ extraneæ.* Canon est Concilii Va-
tatis, quo asseritur, *de expositis querelam processisse, eos non mise-
ricordiæ jam, sed canibus exponi.*

§. XXXI. Diximus de locis intra urbium quæ essent pomæ-
ria: nunc ad loca avia & deserta, quæ longius a civitate remota es-
sent, peregrinabimur. Eo enim deferre solebant infantes, canibus,
feris & avibus in prædam. Suidas: *ἐκτιθέναι τὰ βρέφη, ἀντὶ τῆς
εἰς βοσάν ἡγεῖται, ἢ καὶ ἄλλοις εἰς διαφθοράν παρατιθέναι ἐπ' ἐρη-
μίαις.* *Exponere infantes, pro eo quod est feris in cibum, aut aliter in
exitium in solitudine aliqua deponere.* Arnobius loco nuper laudato:
Vos enim video procreatos filios nunc feris & avibus exponere. Lactan-
tius loco itidem citato: *Non possunt innocentes existimari, qui viscera
sua in prædam canibus objiciunt.*

E 2

XXXII.

§. XXXII. Quid vetat etiam fabulas advocare, quippe quæ repræsentent morem vere alias usurpatum? Æolus, cum filii filiæque intellexisset flagitium, infantem canibus exponi iussit: Id quod his versibus fratri nunciat Canace apud Ovidium Epist. XI.

*Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat, in solis destituitque locis.*

Vagitus dedit ille miser: sensisse putares,

Quaque suum poterat voce rogabat avum.

Quid mihi tunc animi credis, germane, fuisse?

Nam potes ex animo colligere ipse tuo.

Cum mea me coram sylvas inimicus in altis

Viscera montanis ferret edenda lupis.

Et post pauca ita quiritatur:

Nate dolor matris, rapidarum præda ferarum,

Hei mihi natali dilacerate tuo.

Nate parum fausti miserabile pignus amoris,

Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.

§. XXXIII. Semiramidem & Cyrum supra spectavimus in solitudine a columbis & cane; Romulum & Remum a lupa enutritos: nunc alia dabimus exempla ex mythologia veterum, cuique liberum relinquentes iudicium, quo loco velit æstimare. Nos, sicuti dictum est superius, neque pro veris venditamus omnia; nec singula pro commentitiis reputamus. Qui corvos adegit, ut Prophetæ deferrent escam; qui leonum rictus conclusit, ne innata, & per esuriam excitata rabies damnum inferret Danieli: quidni is efferatam ferarum naturam demulcere potuerit, ut blandum alluderent infantibus, & ubera quoque admoverent hiantibus osculis?

§. XXXIV. Ceterum pleraque hujus generis exemplum in compendium redegit Hyginus fab. CCLII. verbis sequentibus: *Qui lacte ferino nutriti sunt: Telephus Herculis & Auges filius ab cervæ. Ægisthus Thyestis & Pelopie filius ab capra. Æolus & Boëtus Neptuni & Menalippes filii a vacca. Hippothous Neptuni & Alopes filius, ab equa. Romulus & Remus Martis & Ilie filii ab lupa. Antilochus Nestoris filius expositus in Ida monte, ab cane. Harpalice Harpalici Regis Amymneorum filia, a vacca & equa. Camilla Metabi regis Volscorum filia ab equa.*

§. XXXV.

§. XXXV. De Telepho sigillatim Apollodorus libro III. Bibliothecæ sive de Deorum origine: τὸ δὲ βρέφους ἐκτεθὲν ἐν ὄρει Παρθενίῳ, θηλὴν ὑποχρῆσις ἐλάφου, τήλεφους ἐκλήθη. καὶ τραφεῖς ὑπὸ τῶν Κορίθου βουκόλων καὶ ζητήσας τῆς γονέας ἤκεν εἰς Δελφούς. Infans in monte Parthenio exponitur: quod cerva de suis uberibus alimentum suppeditavit, Telephus est appellatus: atque a Corythi bubulcis nutritus, ac perquirens parentes Delphos pervenit.

§. XXXVI. Paucis interjectis aliud exemplum memorat Apollodorus. Αταλάντης ὁ πατὴρ ἀρρένων πόντων Ἰπτιθιμῶν, ἐξέθηκεν αὐτήν. Ἄρετῃ δὲ Φοιτῶσι πολλάκις θηλὴν ἐδίδο. μέχρῃ δ' εὐρόντες κωνηγυῖ παρ' ἑαυτοῖς ἀνέτρεφον, Atalanta pater masculæ proliis cupidus, eam exposuit; ad quam ursæ sæpenumero veniens ubera protendebat: eamque demum venatores inventam penes se educarunt. Sed Atalantæ fabulam prolixè recenset Ælianus Var. Histor. lib. XIII. cap. I. sic ut instar omnium esse possit.

§. XXXVII. His addas licet ipsum Jovem, ut Saturno Patri subtraheretur, in Creta expositum capellæ ubera sugentem. Ovidii lectissimi sunt versus lib. V. Fastorum:

Nascitur Oleniæ sidus pluviale capellæ:

Illæ datæ cælum præmia lactis habet.

Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida,

Dicitur in sylvis occuluisse Jovem.

Huic fuit hædorum mater formosa duorum

Inter Diætos conspicienda greges:

Cornibus aëreis, atque in sua terga recurvis,

Ubere quod nutrix posset habere Jovis.

Lac dabat illa Deo, sed fregit in arbore cornu,

Truncaque dimidia parte decoris erat.

Hinc Prudentius Hymno Περισεφανῶν XIV. quo Romani martyrium exponit v. 618.

— Capellam Gnosiam

Suxisse fertur Jupiter, Martis Pater.

Et Minucius Felix in Octavio: *Et quæ Jovis sacra sunt? Nutrix capella est, & avido patri subtrahitur infans, ne voretur.* Strabo tamen lib. VIII, non in Creta, sed apud Olenum Achajæ civitatem, quæ

postea Ægeum dicta est, hoc accidisse ex Arato declarat: ἰσορροπία δὲ, ἐν ταῦτα καὶ τὸν Δία ὑπ' αἰγὸς τραφῆναι, κατὰ πρῶτον Φησὶ καὶ Ἀράτος. Narrant vero, ibidem etiam Jovem a capra nutritum, prout ait Aratus. Versus Arati hic est:

Ἄϊξ ἰσθὲν, τὴν μὲν τε λόγῳ Διὶ μαζὸν ὄπιθεν.

Vt nihil est in fabulis certi, ita capræ locum apes alibi suppleant in nutriendo Deorum Patre. Virgilius lib. IV. Georgic.

Nunc age naturas apibus, quas Jupiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ
Dictæo cæli Regem pavere sub antro.

Origines hujus nutritionis fabulosas sic detegit Lactantius lib. I. cap. XXII. Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικής ait, Melissea Cretensium Regem primum Diis sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias, Amaltheam & Melissem: quæ Jovem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt: unde poetica illa fabula originem sumsit, advolasse apes, atque os pueri melle complexse. Ne nunc dicam de pluribus in hac una re opinionibus, quas videas in Jacobi Ouzelii Commentariis ad Minucium Felicem.

§. XXXVIII. Pertinet quoque ad hanc classem Habidis a variis animalibus enutriti fatum, quod hunc in modum exponit Justinus lib. XLIV. cap. IV. Gargori cum ex filia stepro nepos provenisset, pudore flagitii, variis generibus exstingui parvulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadam servatus, ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione pervenit. Primum omnium cum eum exponi jusisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inventus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet: crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus objecit. Itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur, ad ultimum in Oceanum abjici jus-
sit. Tum plane manifesto quodam numine inter furentes æstus, ac reciprocantes undas, velut nave, non fluctibus veheretur, leni salo in litore exponitur: nec multo post cervæ affuit, quæ ubera parvulo offerret. In-
de

de denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit; inter-
que ceruorum greges diu montes saltusque haut inferior velocitate per-
agravit. Ad postremum laqueo captus, regi dono datus est.

§. XXXIX. Hæc ipsa Habidis, fabulosa quamvis fortuna a-
liam hujus generis historiam in mentem nobis revocat, quam Pro-
copio lib. II. Gothicorum debemus. Mihi, inquit, hujusmodi specta-
culum oblatum est. Cum in agrum Picenum Romanorum exercitus
Johanne Duce venisset, ingens, uti par erat, ejus regionis homines
invaserat terror. Fœminæ itaque cum derepente fugam caperent,
partim comprehensæ indecore & turpiter agerentur, eodem ipso in loco,
ubi Urbisalia oppidum fuerat, mulier quædam edito partu, eoque pan-
nis, ut licuit, involuto, & in terra relicto, nusquam deinde comparuit,
alio utcumque casu sublata: Infantem itaque ea in solitudine destitu-
tum, ubi vagientem quædam capella advertit, commiserata (nam
& ipsa recens foetum ediderat) & simul accedens ubera illi mox
præbuit exsugenda, diligentique cura servabat, ne canis, aut alia quæ-
vis ipsum hunc bellua devastaret. Cum in Urbisaliam fœminæ rediis-
sent, puerum adhuc superstitem conspicatæ, cum conjectura id capere
nequirent, pro ingenti miraculo ducere, & identidem demirari, quod
viveret. Unde & certatim de se quoque mammillam porrigere blan-
dirique. Pueri autem lac humanum respuenti in tutelam capella
mox adfuit, & crebriore balatu fremens hunc circumibat, ita ut gra-
viter ferre fœminis his videretur, quod ipsæ puero appropinquas-
sent, & illi perinde intulissent molestiam, eundemque non aliter
ducere, ac de se genitum, & simul fovere. Quo factum, ut nec pu-
ero mulieres de cetero negotiū quippiam exhiberent, & capella non
minus hunc intrepide aleret, quam diligenter servaret, unde & Æ-
gistum populares dixere. Me vero cum eo forte contingeret ut iter
facerem, loci tum incola, ut rem miram, & plane absurdam osten-
derent, ad puerum duxere, illumque de industria infestare, vocem ut
ederet gemebundus. Tum vero capella, quæ ad lapidis alterum
jactum festina ac balans accurrit, & desuper adstitit, ut nemo illi
molestus magis esset.

§. XXXIX.

§. XL. Recentius exemplum, quod in Additionibus ad Lamberti Schafnaburgensis *de rebus gestis Germanorum librum* his verbis legitur: *Anno M D XLIV. quidam puer in partibus Hassiæ est deprehensus. Hic, sicut postea cognitum est, & ipse retulit, cum trium esset annorum, a lupis est raptus, & mirabiliter educatus. Nam quamcunque prædam lupi pro cibo rapuerant, semper meliorem partem sumentes, & arbori circumjacentes ipsi ad vorandum tribuebant. Tempore vero hyemis & frigoris foveam facientes folia arborum & alias herbas imponentes puerum superponebant, & se circumponentes sic eum a frigore defendebant, & secum currere tamdiu quoad ex usu eorum velocitatem imitabatur, & saltus maximos faciebat. Hic deprehensus lignis circumligatus erectus ire ad humanam similitudinem cogeatur. Idem vero puer sæpius dicebat, se multo carius cum lupis, si in se esset, quam cum hominibus diligere conversari. Puer iste, in curiam Henrici Principis Hassiæ pro spectaculo est allatus. Hoc etiam eodem anno contigit in Veteravia, in villa Echzel, ibi enim puer duodecim annorum cum lupis erat in sylva, quæ vulgo dicitur Diehart / & in venatione a Nobilibus hyberno tempore captus fuit.*

§. XLI. Sed e diverticulo in viam. Reliquos circa expositionem ritus recensere videmus. Exponebantur autem infantes vel nudi, vel involucris quibusdam tecti. Quomodo Claudia ad matris januam nuda fuerit abjecta, Svetonium antea narrantem audivimus. Sic Quintilianus Declamat. CCCVI. *Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum, cui mori domi expediret: inde nudum corpus sub cælo, inter feras & volucres,*

§. XLII. Id vero erat feritatis eximia. Alioquin, quos servatos volebant, involucris, ceu dixi, sive lintheaminibus fasciisque obvolutos exponebant. Heliodor. lib. II. *Hanc, quam vides, hospes, mater quandam ob causam fasciis involutam exposuit fortune ejus rationes permittens.*

§. XLIII. Apud Græcos moris erat, ut quandoque liberos in vasis fictilibus ad compita exponerent, quo magis obvii inventu & faciliores asportatu essent, si quis eos educare forte non gravaretur. Hujus consuetudinis Aristophanes, ejusque Interpres in *Ranis* men-

mentionem faciunt. Versus sunt isti de Oedipo exposito :

Πῶς γὰρ ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
Χειμῶν ἐξέθεσαν ἐν ὄσρακῳ

Qui mox, ut alvo matris esset editus,

In vase fictili per hyemem exponitur.

Ad quæ Scholiastes: τὸ ἦ ἐν ὄσρακῳ: ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξέτιθεσαν τὰ παιδία, διὸ καὶ χυτρίζειν ἔλεγον. Illud vero in ὄσρακῳ: quia in ollis exponebant infantes; quapropter ἔ χυτρίζειν dicebant. Idem Scholiastes alibi: Ἐγχύτρηαι ἔτι γὰρ μὴν καὶ τὰς μάλιστα ἐκτιθείσας ἐν χύτραις τὰ βρέφη. Hoc est: ἐγχύτρηαι significant præterea obstetrices, (nutrices) exponentes infantes in ollis. Etymologicum Magnum: Ἐγχυτρίζειν, τὸ ἀποκλίνειν. ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς χύτροις ἐκτιθειμένων βρεφῶν. Atque eodem Nannius & nonnulli alii respexisse putant Terentium Andr. IV. V. cum *Cantharo* suo *suffarcinato*, cum alias legatur *canthara suffarcinata*. Eugraphius tamen etsi genus fœmininum retinet, sic tamen commentatur: *Cantharam suffarcinatam dixit, quasi corbem supponendo puero repletum.*

§. XLIV. Illorum major sollicitudo erat, qui certa interdum infantibus addebant monumenta. Non sine causa sic appello: nam ita quoque indigitavit Terentius *Eunuch. IV. VI.* ubi Thais jubet Pythiam, *Cistellam domo afferre cum monumentis*: scilicet quorum beneficio agnosceretur Pamphila a prædonibus olim rapta ætate infantili. Vnde Vetus Interpres: *Monumenta sunt quæ Greci dicunt γνωρίσματα καὶ σπάργανα.*

§. XLV. A Græcis etiam vocabantur δέραια. Euripides in *Ione*: δέραια χρυσώματα παιδὶ νεογόνῳ φέρειν. Dio Chryostomus: καὶ πολλὰ διαδήματα, καὶ σκήπτρα, καὶ τίαρξες προσάψωσιν αὐτῶν, καθάπερ τὰ δέραια τοῖς ἐκτιθειμένοις παιδίοις, ἵνα μὴ ἀγνοῆται.

§. XLVI. Latinis audiebant *Crepundia*. Plautus *Cistellar. Act. III.*

Hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit

Quæ mihi dedit: parentes te ut cognoscant facilius.

Accipe hanc cistellam.

Et IV. I. -- Quid hoc est; hæc quod cistella hic jacet

Cum crepundiis? nec quemquam conspicio alium in via?

Faciendum est puerile officium? conquiniscam ad cistulam.

F

Et

Et eadem Scena:

— Crepundia

Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolum ad necem.
Atque hinc lucem capit pulcherrimus ille apud Ciceronem locus in Bruto: *Quoniam totum me non nevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videreris velle cognoscere.*

§. XLVII. Hæc crepundia varii erant generis. Aliqua enumerantur apud Heliodorum lib. II. ubi de Chariclea. Quia Græca non sunt ad manum, Latina dabimus; *Expositus autem fuerat una cum illa cumulus lapidum, quem nuper ostendi, & fascia quaedam de serico filo texta, literis vernaculis & narratione de rationibus infantis insignita, matre, ut opinor, has notas & indicia puella procurante. Que ut legi, unde, & quæ esset cognovi, atque in agrum asportavi, longe disitum ab urbe, pastoribus nutriendam tradens, & interminans ne cuiquam dicerent. Ea vero quæ una erant exposita apud me detinebam, ne quæ insidia propter ea puella struerentur.* Elegans de his crepundiis locus est in Longi Sophistæ Pastoralibus lib. I. *Ευρίσκεται παιδίον ἄρρεν, μέγαν καὶ καλόν, καὶ τῆς χεῖρ τὴν ἑκθεσιν τύχης ἐν σπαργάνοις κρείττοσι. Χλαμυδίοντε γὰρ ἦν ἀλσργές, καὶ πόρπη χρυσοῦ, καὶ ξιφίδιον ἐλεφαντόκωπον.* Quæ sic vertit Gothofredus Jungermannus: *Infantem reperit marem, majusculum atque venustum, simul, quæ expositi fortunam indicarent, fasciis preciosis involutum. Chlamydium erat purpureum, cum fibula aurea ensiculusque capulo eburneo.* Idem lib. IV. alia recenset crepundia: *ἐπεὶ δὲ καὶ τὰ γνωρίσματα εἶδε κομιθέντα, ὑποδήματα κατὰ χερσὶν, τὰς περικελίδας, τὴν μίτραν.* Vbi vero & crepundia conspexit allata, *calceolos nempe auratos, periscelides, mitram.*

§. XLVIII. Annuli interdum expositis additi. Terentius Heautontimorum. IV. I.

*Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor
Is qui cum exposita est gnata.*

Et eadem Scena:

*Cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, & eum dico, ut una cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.*

§. XLIX.

§. XLIX. Ex his, quæ hæcenus de his Crepundiis allata sunt testimoniis apparet, quod ea infantibus sint data, partim ut illorum beneficio, si fors fortuna ita vellet, aliquando agnoscerentur; partim, ut si moreretur infans, ne deesset sepulturæ impendium. Quo pertinet, quod Eugraphius ait: *Nefas fuisse liberos etiam mortuos paternis bonis fraudari.* Verum si pretiosa quædam adderentur, facile cogitare est, præbita tanquam viaticum peregre abeuntibus; nempe ut esset inventoribus unde alerent.

§. L. Ceterum ut eo minus fallerentur, si quando aperiretur expositi conditio, solebant infantis cuti certas notas inurere. Justinus in Habidis historia loco ante laudato: *Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quæ iniuste parvulo fuerant, nepos agnitus.* Plura ejus generis observavit Fridericus Lindenbrogius *Observation. ad Terent. Eunuch. IV. VI.*

CAPVT V.
EXPOSITIONEM INFANTVM JURI NATVRÆ ADVERSARI OSTENDTVR, ET OBJECTIONIBVS ILLAM DEFENDENTIBVS RESPONDETVR.

SVMMARIVM.

Pagani enormibus quibusque se commacularunt sceleribus; nec semper secuti sunt Naturam Ducem. Non respexerunt miseram Infantium ætatem, quando eos Saturno immolarunt, aut alio modo trucidarunt. Infantes recens editi summa cum cura fovendi. Expositio infantum contrariatur Juri Naturæ; quia impedit multiplicationem generis humani, quam intendit Natura. Qui exponunt infantes bruta feritate superant. Philonis locus insignis. Abjectio Expositione gravius est scelus. Expositio in loco periculoso pejor illa, quando in loco ab hominibus frequentato contingit. Legislatores Veteres & recentes eo respexerunt in definiendis Exponentium pœnis. Infantes monstrosi non sunt exponendi, nisi plane distent ab humana natura. Infantes monstrosi sollicitè educati præstitere aliis. Deus naturæ defectum non raro supplet. Media politica

quibus coereeri possit hominum multitudo, ne ob pauperiem ad Ex-
positionem deveniatur. Thebanorum lex optima. Mitius puni-
tur, qui paupertate adacti liberos exponunt, non, tamen plane ab-
solvuntur. An pauperibus abstinendum matrimonio. Cur infan-
tes fœmellas imprimis exposuerint Veteres ostenditur. Male excu-
satur cœlebs fœmina ob infamiae metum infantem exponens.

§. I.

Nullum tam atrox flagitium, tam detestabile scelus nullum fuit,
quo se non commaculaverint quandoque Gentiles. Naturam
sequi Ducem sapientiores quique habebant in animo: sed
quam longis ab eadem parasangis sæpius deflexerint nnumera de-
monstrarunt exempla. Ut abeamus longe, non permittit instituti no-
stri ratio: hæc ipsa, qua in occupamur materia luculenter ob ocu-
los nobis ponit, quam temere Pagani ab illis secessionem fecerint
regulis, quas naturæ auctor Deus ipsis mentibus insevit.

§. II. Homicidium innocentis facere nullo modo licet; nec
inveniri tam gravis causa potest, qua excusare illum queamus, qui
suas manus suamque conscientiam tam gravi scelere polluerit. Li-
berorum autem infantia quo majoribus alioquin ærumnis est obno-
xia, & quo indiget magis aliena ope & auxilio; eo minus crudeli-
tatem mortaliū experiri, rigoremq; immanem fas esset persentiscere.

§. III. Quando lacteæ suaviloquentiæ doctor Lactantius in-
credibilem Paganorum infantes Saturno immolantium repetit insa-
niam, non satis habet verborum, quibus extremam hanc exponat
barbariem. *De infantibus, inquit, qui Saturno immolabantur pro-
pter odium Jovis, quid dicam, non invenio. Tam barbaros, tam imma-
nes fuisse homines, ut parricidium suum, id est, tetrum & execrabile
humano generi facinus, sacrificium vocarent: cum teneras atque inno-
centes animas, quæ maxime est ætas Parentibus dulcior, sine ullo respe-
ctu pietatis exstinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ
tamen fœtus suos ament, feritate superarent. O dementiam insanabi-
lem!* lib. I. cap. XXI.

§. IV. Dira illa & execrabilis religio, quæ se quoque per
Judaicam proh dolor! diffudit gentem, diris omnibus merito devo-
venda, modisque cunctis detestanda est: ac pari ratione nefarium il-
lud

Iud institutum infantes recens natos vitæ ac lucis hujus usura quomodocunque privandi, tantum abest ut probari aliquatenus possit, ut e contrario sit maneatque facinus tetrum, impium, malitiosum, ultimoque expiandum supplicio. Graviter itaque Philo: *Attamen si ætatis quoque rationem haberi placet, majorem indignationem infanticida mereri videtur; nam perfecta ætas multis modis irritat offenditque: infantibus vero tum recens in lucem ac vitam editis ne falsum quidem crimen licet objicere propter summam eorum innocentiam. Ideo sevisissimi omnium & immanissimi judicandi sunt, qui his struunt perniciem, merito capitalem pœnam daturi legibus.* Cum quo Justinianus Imp. fere convenit Novella CLIII. cap. I. *Qui omni inhumanitate & crudelitate referti sunt (loquitur de Exponentibus) tanto deteriores homicidio pollutis, quanto calamitosioribus inferunt.*

§. V. Quandocunque igitur infans est in hanc lucem editus, tum illi, ad quos spectat proles, sive ipsi sint Parentes, sive in eorum succedant locum; tum isti, qui parturientibus opem ferre solent, quod plerumque obstetricibus incumbit, seu qui alii eo advocantur, in id intenti esse debent omni studio, ut tenella ætas servetur, ac nihil prorsus vel per malitiam vel per incuriam detrimenti capiat. Aliter qui fecerit, is vim naturæ infert maximam, & in humanum genus vehementer est injurius.

§. VI. Ex his igitur apparet, quod non modo naturæ juri sit dissentaneum infantes trucidare; verum eidem etiam repugnet juri, si quis ex se natam non agnoscat sobolem; sed eandem vel aliorum misericordiæ, vel canibus ferisque in prædam exponat. Quia enim per hanc abjectionem, sive expositionem multiplicationi generis humani, quam tamen Deus & natura sollicite intendunt, obex ponitur; non potest non hoc facinus nefariam sapere impietatem, & a communi lege mentibus humanis infixam longissime recedere. Quamvis enim summa cum cura conclusum utero fœtum custodires, natum tamen non agnosceres, ejusque tutelam pariter & curam abjiceres, naturæ proposito, quod in multiplicationem generis humani intentum est, nullo modo satisfaceres. Nam nisi fragilis hæc ætatula summa cura foveretur, extemplo illam interire necessum esset. Et vero quia bruta quoque animalia videmus in servandis pullis catulisque suis multum laborare; quidni id magis eos deceat, qui præter illum

instinctum naturalem etiam intelligenti præditi sunt anima, cuius beneficio longe accuratiorem suis pignoribus præstare possunt & debent curam? Qui in hac causa negligentiores sunt, suumque prætermittunt officium, ipsi, ceu jam dixi, naturæ bellum inferunt, & ingenti se obstringunt sceleri.

§. VII. Firmiter itaque concludimus, abjectionem & expositionem esse contra jus naturæ, omnesq; gentes, apud quos recepta fuit moribus, ab eo discessisse, atque adeo Deum, primævæ Legis auctorem graviter offendisse.

§. VIII. Ex Judæis unicum denuo audiemus Philonem, qui, ut solet, satis gravi oratione atrocitatem sceleris describit *de specialibus legibus VI. Hæc lex* (quæ habetur Exod. XXI.v.12.) *etiam gravius quiddam prohibet, Expositionem infantium*, inquit, *quæ apud multas gentes propter nativam inhumanitatem vulgaris est impietas. Nam si prospiciendum est, ne ante præfinitum nativitatis tempus vim patiantur in utero, quanto magis conservandi sunt jam editi, & quasi novelli coloni adscripti ceteris hominibus, ut una fruantur naturæ donis, quæ in terra, aqua, aere, cælo proveniunt, cælestia contemplationi & spectaculo, terrestria vero ut usibus serviant, & expleant omnium sensuum desideria: menti quoque famulentur tanquam Regi magno per eosdem sensus seu satellites, aut etiam sine horum ministerio, duntaxat in his, quæcunque sola ratione possunt percipi. Hæc tanta bona quisquis adimit pueris, & alimenta statim a nativitate denegat, sciat se violare jura nature, & hoc modo incidere in maxima crimina, libidinosus, immanis, homicida, atque adeo infanticida prolis propria. Libidinosus, ut qui non liberorum causa, conservandique generis cum uxore congregitur, sed voluptatis causa more suum hircorumque. Immanis quis potius censebitur, quam natorum suorum implacabilis inimicus?*

§. IX. Interim Abjectio gravius est scelus & enormius Expositione. Qui enim abjicit infantem eo, ubi ab imminente morte liberari nequit, ab infanticida non differt. Vnde mox Philo: *Homicide infanticideque sunt manifestarii, sive scelus id peragunt suis manibus, immaniter elidendo spiritum, aut in flumen mareve proficiendo e sublimi, quo celerius mergatur ac profundius.*

§. X. Porro variat Expositio pro loci, in quo exponitur infans qualitate. Aut enim ejusmodi loco exponitur, ubi nemo facile iter facit,

facit, sed potius præsens a feris, vel tempestate, aut alio quovis casu imminet periculum; certe quamvis ab iis nonnihil forte differant, qui manibus suis vitam miseris eripiunt, in gemina tamen propemodum culpa sunt. *Sive in deserta loca, pergit Philo, deportatos exponunt, ut ipsi ajunt, non desperantes de salute, sed re vera ut abjecti miserius intereant. Nam quæcunque feræ carnes humanas expetunt, accurrunt, & avide fruuntur bellis epulis objectis sibi a Parentibus, qui soli aut curatores infantis esse debuerant: atque etiam reliquias eorum carpunt alites carnivora, si serius veniant.*

§. XI. Si vero Expositio fiat in loco quodam ab hominibus frequentato, infante etiam fasciis probe involuto, ut non tam facile perire, aut membro quodam lædi possit, crimen quidem non est exiguum, sed tamen minus vel abjectione, vel periculosa expositione. Recte ergo Philo Expositionem infantum a Parentibus factam grave esse statuit facinus, licet ab aliis tollantur & alantur. *Hoc beneficium, ait, quid aliud est, quam Parentum ipsorum condemnatio? Siquidem exteri faciunt horum officium, parentes vero ne eam quidem curam natis impendant, quam exteri.*

§. XII. Atque ex hoc fonte profluxerunt quoque leges Imp. Romanorum, quibus nefariam infantum Expositionem prudentissime coercuerunt. Et plane quidem Expositionem vetuerunt Valentinianus, Valens & Gratianus ad Probum Præfectum Prætorio rescribentes: *Leg. II. Cod. de Infantibus Expositis tit. II. Unusquisque sobolem suam nutriat: quod si exponendam putaverit, animadversioni quæ constituta est, subjacebit.* Quæ tamen, quanta & qualis sit illa animadversio Imperatores non exprimunt; nec puto eam hic intelligi, quod Pater patriam, Dominus herilem potestatem amitterent. Nam quid tum fieret de hominibus servili conditione, suos si exponerent liberos?

§. XIII. Etsi vero in alienam messem nostram immittere falcem nec debemus, nec volumus, annotare tamen (id quod cum pace Ictorum fiat) licuerit, quod his fundamentis etiam superstructæ sint bonarum Rerum publ. leges aliæ. Nam in *Criminali Constitutione Caroli V. artic. CXXXII. statutum est, ut, si quæ scæmina infantem suum, ne apud se habere & alere cogatur, malitiose exponat, & is infans reperiatur, atque servetur, matri ei de facto indubitatis convictæ probationi-*

bationibus pro maleficii ratione ex consilio Togatorum, poena exemplaris irrogetur; quæ vero exponendo mortis causam dedit, putain locum aliquem solitariû deferendo, capitali supplicio percellatur. Verba Constitutionis ipsa adscribemus: So ein Weib ihr Kind umb daß sie des abkommen/ von ihr lege / und das Kind wird sunden/ und ernehret / dieselbig Mutter soll/ wo sie des überwunden und betreten wird / nach Gelegenheit der Sache / und Rath der verständigen gestrafft werden. Stirbt aber das Kind / von solchen hinlegen / so soll man die Mutter nach Gelegenheit des gefährlichen hinlegens / am Leib und Leben straffen.

§. XIV. Nec aliter fere in foro Saxonico observatur; sic tamen, ut arbitraria illa poena pro modo exponendi, facti qualitate, personarum conditione, atque habita aliarum circumstantiarum consideratione, etiam ad fustigationis poenam extendatur, quamvis partus sit incolumis: quemadmodum pluribus id ostendunt Matthias Coleus *part. I. Decision. CLVIII.* Daniel Mollerus *lib. IV. Semestr. XLV. n. VII.* Matth. Berlichius *part. IV. Conclus. VII. num. XXXVII.* Sigismundus Finckelthufius *Observat. Practic. LXXX. num. XXIV. & seqq.* omnes & singuli a Nicolao Henelio *Otii Vratislaviensis cap. XXX.* laudati.

§. XV. Quia tamen Ethnici suas quasdam habuerunt causas; quibus permoti Expositionem arripuerunt, agedum in illas inquiramus paululum, earundemque levitatem vilitatemque commonstremus.

§. XVI. Et primo quidem mutilatos foetus licite exponi posse arbitrati sunt. Præter illa quæ capite proxime antegresso in hanc sententiam laudavimus, huc pertinent sequentia Senecæ Rhetoris *Controvers. XXXIII. Turrinus Clodius hoc colore usus est. Multos Patres exponere solitos inutiles partus. Nascuntur, inquit, quidam statim aliqua parte corporis mutilati, infirmi, & in nullam spem idonei, quos Parentes sui projiciunt magis, quam exponunt: aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editos, aut corpore invalidos abjiciunt.*

§. XVII. Verum illa mutilatio aut monstrosum reddit hominem, aut minus. Si monstrosum eum facit; vel ejus natura plane nullam cum ceteris hominibus habet communionem & similitudinem; vel adhuc eandem retinet. Illud si est, fortassis non exponendus

du modo foetus, sed & necandus esset: ita tamen ut hoc totum negocium cognitioni Magistratus, qui hac in re piorum, prudentum, & doctorum utetur consilio, unice relinquatur. At, si posterius est, nequaquam causæ satis fuerit, cur exponantur infantes monstrosi. Legislatores quidem in eo elaborent sollicitè, quomodo cives sibi generent liberos robustos & formosos, omnique, quantum est in ipsis, caveant studio, ne quod vel per malitiam, vel per supinam negligentiam, damnum inferatur tenellæ ætati, unde monstrosa illa prodeat & manca: cum & ex usu & decore civitatis sit, habere cives quod ad externum corporis habitum perfectos, numerisque omnibus absolutos. Attamen, si quid secus evenerit, non est propterea progrediendum ad hoc ferale remedium, quo tollatur e medio, quicquid liberorum aliqua corporis parte mutilum in lucem prodierit. Et sane, sollicita modo accesserit circumspectio, ejusmodi homines aliqua corporis deteriori nota insignes non minus ad virtutem educari poterunt, quam alii, quibus alioquin ad externam corporis speciem nihil deest, scævum tamen nacti sunt ingenium, & vitiis flagitiisque variis deditum. Certe si per historias nunc liceret ire, quot quæso possemus recensere illustres Viros, qui, quod corporis defuit decori, virtute præclara egregie compensarunt? Præterea admodum mira divini Numinis est providentia, qua in hominibus, qui distortis membris, vel mutilatis, aut debilitatis, vel omnino deficientibus nati, aliis membris tale robur & dexteritatem ex diuturna consuetudine suppeditari quandoque facit, ut dicere aliquis possit, non in distinctione membrorum, sed in continuo usu perfectionem consistere. Singularia sunt, quæ in hanc rem observavit Philippus Camerarius *Horar. Subcissivarum centur. I. cap. LXXXVII. & cent. III. cap. LXXX.* ad quem lectorem curiosum delegamus.

§. XVIII. Aliam causam insinuare videtur Philosophus, quod nempe, cum nimium augeatur civium soboles, cui commode alendæ non sufficiat civitas, tum ad Expositionem liceat descendere. Nam etsi aliud huic malo adhibendum suadet remedium, abortionis videlicet poculum; quia tamen æque illud est impium, pari ratione, vel ipse Aristoteles, vel ejus sectatorum aliquis ad Expositionem provocare potuissent.

G

§. XIX.

§. XIX. Verum primo id ponendum est, quod bene sit civitati, si abundet hominum, præsertim ad virtutem rite excolendam educatorum, multitudine: id quod nec ipse negat Stagirita, nec alius quisquam politicæ scientiæ gnarus iverit inficias. At si tamen non suffecerit civitatis proventus alendæ tam numerosæ civium proli, nonne tum demum per Expositionem infantum huic malo ire debemus obviam? Minime gentium. Nam is, qui vitam dedit homini, curabit etiam pro sua bonitate, ut de victu cultuque corporis prospici possit ingenti quantumvis hominum multitudini. Qui corvos, qui passeris alit, alites nullo censendos numero; quidni istum sollicitam magis curam existimemus illorum gerere, quorum vita longe pretiosior est, quam ut in contentionem cum ejusmodi brutis veniat?

§. XX. Ceterum quia cum Paganis nobis res est, providentiam illam Æternæ Mentis vel negantibus plane, vel in dubium vocantibus; alia comminiscemur media, quibus consuli tantæ possit multitudini. Et vero, quia ille liberorum numerus ex multitudine familiarum oritur, migrationes tum temporis instituendæ essent ad alias civitates frequentia incolarum minime laborantes: ad illas præsertim, quibus cum hac, unde excedunt cives, fœdus vel amicitia intercedit. Deinde quo major est civium numerus, nec fertile civitas est nacta solum, aut alias in tanta frequentia non adferuntur, nec adferri commode possunt vitæ liberalius agendæ subsidia; eo magis frugalitati erit studendum, omnisque prodigalitas severis coercenda legibus. Divitibus etiam imperare posset legislator, ut pro re nata pauperiorum alerent liberos aliquot, qui adultiores facti iisdem in agrestibus & urbanis negociis servitia præstarent. Quid Thebani olim decreverint in hanc sententiam, non sivit nos ignorare Æliani diligentia, qui lib. II. cap. VII. hæc refert: *Lex hæc Thebanorum rectissime & humanissime posita est. Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto. Verum si extrema mendicitate pater laboret, sive mas sit, sive foemina infans, jubet lex eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre: qui acceptum alicui tradit levi pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, bona fide infantem alat, & adultum servi vel servæ*

va loco habeat, sic ut pro educationis mercede operas ejus accipiat. Denique in ejusmodi civitatibus, nisi major alia id disuaserit ratio, liberi civium in tempore ad arma tractanda essent assuefaciendi. Sic enim fieret, ut occasione ita ferente aliis civitatibus utilem in militia locare possint operam: id quod in Helvetia probe observari nostræ & superiorum ætatum docent historia.

§. XXI, Atque iisdem, & pluribus insuper mediis aliis in universum poterunt consulere civitatum rectores hominibus pauperioris sortis, ne duro necessitatis telo coacti ad exponendos infantes transfiliant. Et sane nullam licet tam gravem existimemus esse causam, cujus obtentu vel permittatur, vel fiat Expositio; si qui tamen Parentes excusationem aliquam merentur, hi erunt, qui duro onere paupertatis pressi per expositionem sibi volunt consulere: modo in iis locis exponant infantes, ubi nullum eorum vitæ vel valetudini immineat periculum. Quintilianus quoque *Declamat. CCCXI.* tales videtur excusare his verbis: *Alia est conditio eorum, quibus obvium Parentem querit exponentium paupertas.* Nisi totus fallor, nimio rigidior est in hoc Lactantius, qui a matrimonio abstinendum illis suadet, qui liberos ob paupertatem non possint educare. lib. VI. cap. XX. Adscribam non hæc modo, sed & quæ proxime antecedunt, cum iste locus de Expositione Infantum dedita agat opera. *Quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordie locum non tribuit? qui, etiam si contingat ei, quod voluit, ut alatur, addixit certe sanguinem suum vel ad servitutem, vel ad lupanar.* *Quæ autem possint vel soleant accidere in utroque sexu, vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum duplici scelere confusum.* Tam igitur nefarium est exponere, quam necare. At enim parricide facultatum angustias conqueruntur, nec se pluribus liberis educandis sufficere posse pretendunt: quasi vero aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes, & ex pauperibus divites faciat? *Quare, si quis liberos ob pauperiem non poterit educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quam scelertis manibus Dei opera corrumpat.* Non is ego sum, qui elevem Expositionis crimen, quippe qui contra illud omni ope disputem; Lactantium tamen aut de Expositione Infantum periculosa loqui

putaverim, aut adhuc in ea fuerim sententia rigorem ejus esse nimium, dum pauperes arcet a conjugio.

§. XXII. Mitius sane puniendi erunt qui præ paupertate infantes exponunt; nec tamen plane ab omni pœna, ut abeant immunes permittendum. Sicuti enim meretrix ob famis necessitatem a pœna fornicationis non absolvetur; nec leno summam quantumvis prætendens inopiam a debito lenociniis supplicio eximitur: ita nec Parentes sub paupertatis prætextu infantium curam a se amoliri poterunt, ut id propter non sint arbitrariæ saltim Judicis pœnæ obnoxii.

§. XXIII. Quid vero illi attulerint in defensionem sui qui Expositionem non alia de causa arripuerunt, quam quod sequioris sexus infans esset, equidem non intelligo. Talis erat Iasion Atalantæ pater, qui filiam recens natam exposuit: ἔλεγε γὰρ (verba sunt Æliani Var. Histor. lib. XIII. c. I.) ἔ' θυγατέρων, ἀλλ' ἀρρένων δέϊος. *Non enim se fœminis, sed maribus opus habere dicebat.*

§. XXIV. Si quid tamen video, ex odio hoc propositum profuxit erga totum genus fœmininum: cui augendo stimulos addiderunt, qui horrendis tam necessarium sexum convitiis proscindere non sunt veriti.

Fœmina nulla bona est, & si bona contigit ulli

Nescio quo fato res mala facta bona est.

Hoc carbone dignum elogium quamvis non sapiat Ciceronianum genium, tamen in *Pseudepigraphis Petronianis* Q. Fratri tributum legimus. Nec minus Lacon ille apud Plutarchum, mulierem omnem indigitavit malam: qui cum uxorem duxisset perpusillam, dicebat e malis, quod minimum esset, eligendum. Hinc Adagio illo vix quidquam olim tritius: πῦρ, καὶ θάλασσα, καὶ γυνή, κακὰ τέλα. Hesiodus, Euripides, aliique Græcorum vatum tam sunt infensi mulieribus, ut nullum iis *immanius malum, deterius pejusque aliquid quam fœmina nihil*, decantare non dubitaverint. Eo quoque nonnulli devenerunt dementiæ, ut pro monstro haberent fœminam, ejusque originem monstrosam dicerent. Simonides, Græcus Poeta, in *Jambis* suis, Jovem quasdam fœminas ex hispida & fetosa sue, aliquas e versipelle vulpe, nonnullas e cane, alias e muſteia, rursus alias ex ſimia, item ex equa, ceteras e mari creasse

asse-

afferuit; utpote quæ omnes & singulæ sigillatim horum animalium mores, itemque maris fluctus & procellas vitæ morumque inconstantia referant.

§. XXV. Quæ quidem luculento sunt indicio, non novum esse commenti genus, nostroque natum seculo, propter quod Valens Acidalius, qui tamen se illius scommatis auctorem negavit; adeo vexaretur; nempe *Mulieres pro hominibus non esse habendas*: quæ sane propositio insana est, impia ac nefaria, Deumque O. M. non masculorum tantum, sed & fœminini sexus auctorem gravi afficiens injuria.

§. XXVI. Atque hæc paulo latius exposita clare satis arguunt, unde nata sit illa de exponendis infantibus fœmellis temeraria sententia: quæ exinde quoque, ut opinor, confirmata fuit, quod passim plures prodire in lucem puellas, quam masculos deprehenderent. Plato id observavit *Lib. VI. de Legibus*: Ὅση ἡ θήλεια ἡμῶν φύσις ἐστὶ πρὸς ἀρετὴν χεῖρα τῆς τῶν ἀρρένων, τοσούτῳ ἀγαθέρα πρὸς τὸ πλεόν ἢ διπλάσιον εἶναι. *Quanto natura fœminea ineptior est ad virtutem, quam virilis, tanto excedit, ut plusquam duplum esse videatur.*

§. XXVII. Absit vero ut illorum opinionem probare possimus, qui si fœmina cœlebs proprii honoris conservandi causa, & ad evitandam infamiam partum suum exposuerit, id impune illi esse velint: quod & Senatui Mediolanensi placuisse scribit Julius Clarus, *Lib. V. Sententiar. §. ult. quest. LXXXIII. n. VII.* nec improbat celebris Jctus Jacobus Menochius *lib. II. de arbitrar. judiciis cent. IV. cas. CCCLXIX.* Bene scribit Nicolaus Henelius *Otii Vratislav. cap. XXX.* *Hoc quid aliud, quam flagitiis ac sceleribus fenestram, imo portam aperire latissimam?* ubi simul explicat Pauli Jcti textum, & a pravo interpretamento vindicat.

CAPVT VI. DE EXPOSITORVM INFANTIVM ALIMENTO ET EDUCATIONE. SUMMARIVM.

*Alimenta Expositis præbita. Expositi Alumni, Altelli, Ἰεεπτοῖ
sunt dicti. Romulus cur Altellus vocatus. Festi & Meur-*

sui conjecturae rejectæ. *Expositi servilis erant conditionis, lupanaribus aliquando addicti. Agitur de Quæstione, an hi Infantes in libertatem possint asseri. Trajani Imp. sententia examinatur. Sumtus pro alimentis restituti Educatoribus. Justinianus Imp. omnes Exposititios liberos esse iussit. Brephtrophia in quibus Expositi educantur Romæ, Noribergæ, & alibi.*

§. I.

Vnum adhuc superest, ut recenseamus, quid factum olim sit de Expositis, & quomodo adhuc in Rebuspubl. bene constitutis Expositorum cura habeatur.

§. II. Alimenta Expositis præbebantur ab iis qui repere-
rant. Hinc Latini hoc genus *Altellos* vocabant & *Alumnos*, Græci
autem *ἄρτιός*. Glossarium vetus: *Alumnus, ἄρτιός*. Et alibi: *Alu-
mnus, οἰκοτροφῆς, τροφίμῳ, ἄρτιός*. Glossarium Philoxeni: *Alerius,
ἐντροφῶν, ἄρτιός, τροφῆς*. Ubi pro *ἄρτιός* Salmasius legit
ἄρτιός, sed alii rectius *ἄρτιός*. Plinius lib. X. Epist. LXXI. ad Tra-
janum: *Magna, Domine, & ad totam provinciam pertinens quæstio est,
de conditione & alimentis eorum, quos vocant ἄρτιός*. Vbi tamen, ut
observavit Henricus Stephanus, alii legunt *ἐκτέρας*. Merito igitur
Altelli nomen accepit Romulus, quod is expositus fuisset, & a Faustu-
lo educatus. Non ergo est, quod cum Meursio derives ab *alter*, qua-
si Romulus ita sit dictus quia *alter ex geminis*. Quantopere veteres
desudaverint in hoc etymo, docemur ex his Festi: *Altellus Romulus
dicebatur, quasi altus in tellure; vel quod tellurem suam aleret, sive
quod aleretur telis; vel quod a Tatio Sabinorum Rege postulatus sit in
colloquio pacis, & alternis vicibus audierit, locutusq; fuerit. Sicut enim
fit diminutive a macro macellus, a vasro vasellus, ita ab alterno altellus.*

§. III. Cum adollescere hi Altelli, plerumq; servili erant conditi-
one. Atque ita mos, sive lex fuit, quam declamator apud Senecam in-
gerit: *Expositi in nullo numero sunt. Servi sunt: hoc legumlatori visum
est. Lactantius loco nuper laudato: Qui etiam si contingat ei, quod vo-
luit, ut alatur, addixit certe sanguinem suum vel ad servitutem, vel ad
lupanar. Vbi id singulariter observandum est, quod ad lupanar ad-
dixerint expositos: sexum, ceu reor, fœmininum.*

§. IV. Hinc quæstio subinde exorta est, an tales non possent asseri
in

in libertatem. Proponitur Trajano Imp. a Plinio, cum Proconsul esset Bithyniæ, Epistola jamjam allegata. Et is respondet: *Questio ista, que pertinet ad eos, qui liberi nati expositi, deinde sublata a quibusdam, & in servitute educati sunt, sæpe tractata est.* Et respondet ipse: *Nec assertionem denegandam iis, qui ex ejusmodi causa in libertatem vindicabuntur; neque ipsam libertatem redimendam precio alimentorum.*

§. V. Ex hoc loco sese extricare nequeunt Eruditi, inconveniens esse existimantes, quod nec sumtus quidem pro alimentis debeant refundi educatoribus. Et sane contrarium legimus apud Senecam Controv. XXVI. *Expositum qui agnoverit, solutis alimentis recipiat: recteque adeo pater: Pete quantumvis pro disciplinis; imputa quantumvis pro alimentis: licet plus petas, dumne minus reddas.* Contra Patri filium quem exposuerat vindicanti, is qui alimenta dederat, objicit: *Recipere illum, nisi solutis alimentis, non potuisti.* Et in fine Declamation. *Alimenta solvistis, computastis mecum, ut expositum reciperes.*

§. VI. At non videtur ἀπλῶς negare Imperator sumtuum in alimenta factorum restitutionem: sed quia de *liberis natis* loquitur, id non est ad omnes expositos indiscriminatim trahendum. Deinde aut ego valde fallor, aut Imp. hoc intendit, precium alimentorum si exolvi commode non possit, debere haut obstare, quo minus is, qui liber natus, at servili postea conditione habitus, modo libera ejus nativitas probetur, in libertatem vindicetur.

§. VII. Quæ si obtineret ratio, nunc non amplius obstarent Trajano vel Alexandri Imperatoris, vel Diocletiani & Maximiliani rescripta: quorum prior censuit, alienum servum ignorante Domino expositum repeti posse, ac restituendum esse domino suo ab eo, qui ipsum ex commiseratione quadam collegit: ita tamen, ut cogatur Dominus educatori bonæ fidei prius restituere sumtus in alimenta vel artificium exposititii ab eo factos. Hi vero Theodoni rescripserunt: *Patrem, qui filiam exposuit, hanc nunc adultam sumtibus & labore tuo factam, matrimonio conjungi filio tuo desiderantis favere voto convenit: qui si veniatur, alimentorum solutioni parere debet.*

§. VIII. Illud vero singulare est, quod Justinianus Imperator omnes expositos, sive ab ingenuis genitoribus procreatos, sive a libertina progenie, sive servili conditione maculatos, nullo discrimine habito

QX 7c 1132

habito pro liberis & ingenuis declaraverit: idque procul dubio in favorem libertatis, & ut habeant expositi libertatem pro solatio quodam calamitatis, quam perpeffi sunt. Videantur *lex III. & IV. Codicis de Infantibus Expositis, & Novella CLIII.* Ratio huic constitutioni petitur a jure constituto, quo libertatem consequebatur servus, quem ægrotantem dominus habuerit pro derelicto, quemque desperata quasi valetudine domo sua ejecerit. Respicit autem procul dubio Imperator ad edictum illud Claudii, quo de Svetonius cap. XXV. *Cum quidam ægra & affecta mancipia in insulam Esculapii tedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem Domini, si convalescissent: quod si quis necare quem mallet quam exponere, cædis crimine teneri.*


§. IX. Tametsi autem optandum esset, hodiernis moribus ignorari expositionem, tamen quia tanta est hominum malitia, ut clanculum sua moliendo subtrahant se bonis legibus, & naturam Parentum, vel paupertate pressi, vel formidine exuant infamiæ; optime profecto teneræ ætati consulunt rectores Rerump. quando expositios in certis domibus, seu brephotrophiis suscipi & educari faciunt. Ejusmodi institutum jam a Justiniani temporibus licebit repetere, qui titulo Codicis *de Sacrosanctis Ecclesiis* non semel horum *brephotrophiorum* meminit. Romæ prope nosodochium S. Spiritus magnificentum est templum, cui adjacent pauperum receptacula, in quibus expositorum cura habetur. Si quæ mulier infantis caput interstitiis craticularum ferrearum, quæ unius palmi latitudinem longitudinemque non excedunt, commode potest inferere, res est in vado, & alendi jus incumbit nosodochii præsidibus. Singulis annis in templum proximum juvenulæ exposititiæ deducuntur, ex quibus si quis aliquam expetierit in matrimonium, vestem illa novã & centum scutatos dotis loco accipit a Pontifice. Sic Noribergæ, Vlmæ, & in aliis Germanici Imperii Urbibus itidem talia Expositis educandis dicata reperiuntur domicilia. Hæc ubi desunt, alia magistratus habent media, quibus nutriendis & educandis innocentibus prospiciant infantibus.



1077

M. 10





II c
1122

D. O. M. F. (X1859303)

EXPOSITIONEM INFANTVM

SVPERIORVM CONSENSV
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
EXPONUNT

CASPAR SAGITTARIVS

PHILOS. MAG. ET SS. THEOL. DDVS

ET

THOMAS VVELTZ

LINDAVIENSIS.

JENÆ,
LITERIS JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI.
ANNO clō Ipc LXXII.

BIBLIOTHECA
LUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

